De

Socratis daemonio

Commentationem

scripsit

Dr. P. Willibaldus Freymueller, O. S. B.,

Gymnasii Mettenensis Rector.

Landishuti.

Ex officina Zabuesnigana.

1864.

Le soleil jette d'un seul coup sans se retenir tout ce qu'il a de rayons: mais Dieu, qui agit par intelligence et avec une souveraine liberté, applique sa vertu où il lui plait et autant qu'il lui plait.

Bossuet, disc. sur l'hist. univ. I. 2.

Pauca sunt, de quibus jam inde ab antiquis temporibus viri doctissimi saepius et in contrarias partes disputaverint, quam de daemonio Socratis. Verumtamen quamvis causa haec saepe sit retractata et subtiliter recognita, etiamnum sub judice lis est. Quare philosophus quidam recentior [1]) hoc daemonium dicit rem miram et aenigma adhuc non solutum. Illi quidem viri docti, qui τὸ δαιμόνιον Socratis rationem vel conscientiam ipsius interpretantur, facile hoc aenigma solvisse sibi videntur. Facile utique, sed non vere, ut aliis videtur [2]). Attamen omnibus et singulis partibus hujus quaestionis pertentatis et variis rationibus ad controversiam finiendam allatis id effectum est, ut jam facilius etiam ab homine minus perspicaci verum inveniri posse videatur. Hoc fuit, cur rem tam difficilem denuo tractandam mihi proposuerim. Primum igitur vias diversas hucusque tentatas indicabo et examinabo, deinde quam ego ipse ingrediendam censeam fusius exponam. Ne vero fines mihi constitutos nimium transgrediar, in recognoscendis sententiis virorum doctorum, qui de Socratis daemonio sive per occasionem sive data opera scripserunt, libellum clarissimi Volquardseni accurate et acute scriptum, utpote cui in plerisque assentiar, saepius laudabo. Summa tamen judicii ejus de universa causa ita mihi non probatur, ut ipsa potissimum ad commentationem hanc scribendam me impulerit. Equidem non omnino novam, imo „obsoletam" sententiam proferam; sed ab aliis leviter indicatam vel non bene defensam pleniore et, nisi spes me fallit, magis idonea argumentatione firmabo. Num recte, sapientiores judicent.

---

1) Meinersius, Verm. philos. Schriften. III. 5—49.

2) Lasaulxius in quodam suo libro (Des Socrates Leben, Lehre und Tod. Nach Zeugnissen der Alten dargestellt. München 1858.) haec habet: *„Alle modernen Versuche, diese göttliche Stimme im Herzen des Socrates zu erklären, sind völlig misslungen. Die Philosophie wird sich entschliessen müssen, auch diese Offenbarung Gottes, die sie nicht versteht, dennoch als Thatsache gelten zu lassen. Mit der gewöhnlichen philologischen Kritik ist der Sache nicht beizukommen."* — Idem profitetur Volquardsenus (Das Dämonium des Socrates und seine Interpreten. Kiel. 1862.): *„Wir haben nachgewiesen, dass alle versuchten anthropologischen und psychologischen Erklärungen nicht zu halten sind, dass die Erscheinung des Dämoniums auf kein Gesetz der Anthropologie und Psychologie sich zurückführen lässt, sondern ein singuläres ist."*

§. 1.

Quanta fides testibus in re, de qua disputatur, sit habenda.

Res, quam tractandam suscepi, non magis admiratione, quam fide digna est; agitur enim de daemonio, quod dicitur Socrati a pueritia adfuisse, voce vel signo, si quid mali esset facturus, eum dehortans. Id si quivis alius Socrate sapientia et virtute vel utraque inferior de se professus esset, facile controversia fuisset composita; res enim aut inter fabulas simpliciter esset ablegata, aut inter praestigias vel fraudes. At Socrates vir fuit summo consensu sapientissimus idemque modestissimus et a fraudis suspicione quam maxime alienus, ideoque verbis ejus, dummodo certo nobis de iis constiterit, fides minime deroganda videtur. Socrates quidem nihil scripti reliquit [1]); at habemus testes aequales, Platonem et Xenophontem, discipulos ejus et familiares, qui quae magister ille admirabilis dixerat vel fecerat, domi literis consignabant et si quando colloquio non interfuissent, vel si quid ipsis excidisset, id aut ex aliis sciscitabantur, aut ex magistro ipso quaerebant [2]).

Atque in iis Platonis scriptis, quae ad rem nostram propius spectant, primum locum obtinet Apologia, ubi Socrates ipse apud judices causam suam defendens [3]) inducitur. „Platonem autem, inquit Stallbaumius (in praef. ad Apologiam Socratis ed. 2da), apertum est in hac scriptione rationem Socraticam tam fideliter exprimere conatum esse, ut propemodum liceat cum Schleiermachero [4]) suspicari, eum ipsa Socratis verba, quantum quidem fieri posset, conservavisse. Nam rationis disserendi Socraticae species et forma maxime inde a cap. XII. tam accurate diligenterque adumbrata est, ut non orationem judicialem, sed sermonem aliquem legere videamur, qualem vir sapientissimus cum judicibus et accusatoribus suis instituerit. Sententiae autem atque argumentum libri tantum abest ut illum dedeceant, ut, si hac scriptione careremus, de Socratis ingenio et moribus multo incertius foret judicium.“ Haec ille. Neque potuisset Plato, cum multi Apologiam lecturi essent, qui actioni causae praesentes interfuerant, orationem a Socrate habitam, quamvis vellet, immutare; ii certe, qui Socratem condemnaverant, reclamare non omisissent [5]).

Quae porro Socratis narrationem in Apologia fideliter relatam vel complere vel illustrare poterunt, tum ex aliis Platonis libris, tum ex Xenophontis commentariis dictorum et factorum Socratis desumentur [6]). Atque hic quidem, quae Socrates dixit vel fecit, in commentariis, quos quinque annis post ejus mortem vulgavit, ad historiae fidem retulit, sed mentem magistri non semper satis assecutus est. Non fuit Xenophon tam subtilis philosophus, quam certus rerum scriptor [7]).

1) Epistolae illae septem Socrati adscriptae, quae Leo Allatius primus edidit, a philologis vulgo habentur subdititii.

2) Cf. Sympos. 173. b; Theaet. 143. a.

3) Socratem ipsum apud judices pro se dixisse, constat ex Platonis Phaedone 63. 69; Xenoph. Memorab. IV. 8. 1.; Cic. Tusc. I. 29. Platonem judicio interfuisse, ex Apol. 38. b patet.

4) Platons Werke. Abth. I. B. I. S. 185: *„Nichts ist demnach wahrscheinlicher, als dass wir an dieser Rede von der wörtlichen Vertheidigung des Socrates eine so treue Nachschrift aus der Erinnerung haben, als bei dem geübten Gedächtnisse des Platon und dem nothwendigen Unterschiede der geschriebenen Rede von der nachlässig gesprochenen nur möglich war.“*

5) Singulari sententiae Astii (Platons Leben und Schriften, S. 69. ff.), hanc Socratis defensionem non a Platone, sed a rhetore nescio quo scriptam esse docentis, recte adversati sunt Thierschius (Jahrbücher d. Literat. Wien 1818. III.), Socherus (Platons Schriften S. 63. ff.), alii.

6) Xenophontis pro Socrate Apologia, quae putabatur, jam a plerisque subdititia habetur.

7) Volquardsenus in libello suo, quem supra laudavi, ex Xenophontis commentariis complura collegit, quae ab iis, quae a Platone in dialogis suis referuntur, discrepare videntur. At Breitenbachius (Zeitschrift für das Gymnasialwesen. Berlin 1863. S. 499. ff.) libellum istum judicans, Xenophontem de daemonio Socratis cum Platone fere consentire, demonstrat. Summa judicii ejus haec

§. 2.

Quid Socrates de daemonio suo professus sit.

Audiamus igitur Socratem ipsum pro se verba facientem, quid de daemonio suo testificetur, cujus verbis per se fide dignis ex tempore, in quo prolata sunt, maximum sane pondus accedit. Nam in judicium capitis vocatus inter alia haec apud judices locutus est:

„Saepe me audivistis loquentem, inquit (Apol. 31. c.), daemonium quoddam (*θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον*), esse mihi adjunctum, quod quidem etiam Melitus in libello suo irridens notavit. Hoc daemonium a puero mihi adest (*ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον*), vox quaedam (*φωνή τις*), quae quoties fit, me revocat ab eo, quod facturus sum, impellit nunquam. Hoc, inquam, est, quod publica negotia capessere me vetat .... Dein (40. a): Mihi quidem, o judices, mirabile quid accidit; divina enim illa vox mihi familiaris, daemonii nimirum (*ἡ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου*), omni anteactae vitae tempore admodum frequens (*πάνυ πυκνή*) mihi obtigit, etiam in valde parvis rebus (*καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖς*), si quid minus recte (*μὴ ὀρθῶς*) facturus essem, me prohibens. Nunc vero ea, quae ipsi videtis, mihi acciderunt, quae profecto mala gravissima aliquis arbitretur; mihi tamen neque domo mane exeunti signum illud dei (*τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον*) adversatum est, neque suggestum hunc, ut causam dicerem, conscendenti, neque verba facienti in his, quae eram dicturus, quamquam saepe alias inter dicendum me cohibuit. Nunc vero in hac re nusquam mihi neque agenti neque loquenti adversatum est. Quam itaque causam ejus rei esse existimem? Dicam vobis: videtur hoc, quod mihi accidit, bonum esse ......“

Vel ex his Socratis verbis satis probabiliter colligi posse videtur, et quid ipse de daemonii sui natura existimaverit et quid a nobis ob tanti viri auctoritatem de ea censendum sit. Atque primum quidem quaeritur, utrum *τὸ δαιμόνιον* in Apologia et alibi apud Platonem et Xenophontem nomen substantivum sit et idem significet quod *ὁ θεός*, an nomen adjectivum, cui semper nomen aliquod substantivum ut *τὸ σημεῖον* vel simile cogitando addendum sit. Complures enim eruditi, maxime qui Socratem daemonium animum suum, vel rationem, vel conscientiam credidisse putant, ut sententiam suam tueantur, *τὸ δαιμόνιον* tum in Platonis tum in Xenophontis scriptis semper nomen adjectivum esse asserunt. Ita censet Schleiermacherus (Platons Werke. I. 2. 415.). Alii, ut Kríscheus (Forschungen, 229.), cui assentiunt Volquardsenus (9), Stallbaumius (Apol. 27, b), putant, *τὸ δαιμόνιον* a Xenophonte pro substantivo, a Platone pro adjectivo accipi. Thierschius (Jahrbücher der Literat. Wien. 1818. III.), *τὸ δαιμόνιον* singulari numero numen divinum significare, numero vero plurativo *τὰ δαιμόνια* nunquam numina vel deos, sed res divinas designare. Astius denique (Platons Leben und Schriften, 483) contendit, tum apud Platonem tum apud Xenophontem *τὸ δαιμόνιον* modo adjectivum esse modo substantivum. Astium sequuntur Socherus

est: *„Der wesentliche Zweck dieses Aufsatzes war, darzuthun, dass sich bei Plato nichts findet, was den Angaben des Xenophon über das Dämonium des Socrates widerspricht, und dass erst die Zeugnisse beider zusammen uns in den Stand setzen, diesen bedeutenden und interessanten Zug in dem Characterbilde des wunderbaren Mannes zu verstehen und zu würdigen.“*

(Platons Schriften, 98.) et Kuehnerus. Hic (in Prolegom. ad Xenoph. Comment. de daem. Socr.): „Ante omnia, inquit, observandum est, δαιμόνιον generatim idem significare quod θεῖον i. e. divinum, quidquid a diis proficiscitur. Sic Comment. I. 1. 9. Hinc τὸ δαιμόνιον idem est quod τὸ θεῖον (das göttliche Wesen), ut Comment. I. 4. 18. I. 4. 2. IV. 3. 14. Unde factum est, ut τὰ δαιμόνια plurativo numero eadem fere vi dicantur, qua οἱ θεοί, ut apud nos „die Gottheiten" pro „Götter", ut Comment. I. 1. 1: οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰςφέρων et aliis multis locis." Hanc Kühneri sententiam ego quoque amplector. Neque videtur hujusmodi τοῦ δαιμονίου interpretatio rem candide consideranti dubia. Nam, ut exemplis sententiam nostram amplius confirmem, locus, quem ex Apologia Platonica supra protuli, ita se habet (40. a): ἡ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου; haec autem μαντικὴ a Socrate paulo post dicitur τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, ergo τὸ δαιμόνιον idem est ac ὁ θεός[1]). Similiter Xenophon (Memor. I. 1. 4.) de Socrate dicit: προηγόρευε ὡς τοῦ δαιμονίου προσημαίνοντος et mox (5.) de eodem: προαγορεύων ὡς ὑπὸ θεοῦ φαινόμενα; igitur etiam hic τὸ δαιμόνιον idem est qui ὁ θεός. Denique testis nobis est locupletissimus Aristoteles, qui (Rhetor. II. 23. 8.) aperte docet: τὸ δαιμόνιον οὐδέν ἐστιν, ἀλλ' ἢ θεὸς ἢ θεοῦ ἔργον[2]).

Ceterum nihil proficiunt adversarii, etiamsi daemonium pro voce vel signo divino accipiatur; quia etiam sic non ipse Socratis animus habendus est hujusmodi signi vel vocis auctor, sed deus, isque modo quodam singulari, non aliis communi, ut ex rerum et verborum contextu patet et Apologiam Socratis attente legens fateatur necesse est[3]), ne Socrates, vir sapientissimus, daemonii sui signa accurate describens ridiculus videatur. Sed de hoc infra (§. 4.) fusius dissereretur.

Quodsi τὸ δαιμόνιον numen ipsum divinum aut certe vocem vel signum a numine isto profectum Socrates intellexit, quod numen is cogitavit? Num Deum summum, universi conditorem et conservatorem, an unum aliquem ex diis inferioribus? Nam utrosque a Socrate distinctos esse, ex Xenophontis Commentariis (IV. 3. 13.) constat[4]). Cl. Volquardsenus putat, Socratem Deum summum (den Allgott) in mente habuisse; nam fontem vocis vel signi fuisse Socrati τὸν θεόν; sed non unum quendam ex diis inferioribus Graecorum ab eo indicari, neque Jovem pluvium, neque deum Pythicum; ergo τὸν θεὸν intelligendum esse deum universi, deum κατ' ἐξοχὴν (Allgott.). At hic Deus summus ex sententia Socratis (Mem. IV. 3. 13.) maxima quaeque operatur et tanquam uni-

1) Non ergo recte Doellingerus (Heidenthum und Judenthum, 250.) alios secutus affirmavit: *„er selber (Socrates) personificirte dieses Zeichen nicht als seinen Genius; er nannte es nur etwas Dämonisches, d. h. Ausserordentliches oder Unerklärbares, dem er aber unbedingt gehorchte."*

2) Τὸ δαιμόνιον etiam plurativo numero tum deos tum res divinas significare, id quod Thierschius negavit, ex dilemmate colligo, quo Socrates contra Melitum, deos se credere, probavit (Apol. 26. c—28.); hoc enim dilemma totum pendet ex duplici illa τῶν δαιμονίων significatione et ita se habet: „Cum me accusas, Melite, quod nova daemonia inducam, aut deos quidem sed novos me putare et docere asseris (νομίζειν εἶναί τινας θεούς, ἀλλὰ ἑτέρους), aut opera daemonia (δαιμόνια πράγματα): si illud, deos esse credo neque sum omnino ἄθεος; si hoc, item deos credo, nam qui daemonia credit, daemones credit, daemones autem aut deos arbitramur, aut deorum filios."

3) Unum testem liceat mihi proferre, Breitenbachium (in lib. cit. 501.); qui, licet cum adversariis stet, profitetur: *„dass (Socrates) selbst (das Dämonium), wie es einmal in ihm ist und wirkt, als etwas ihm Eigenthümliches fasst, bezeugen alle Stellen, die davon handeln."*

4) Kunzius (Programm d. Gym. Tropau. 1863. 6.) Bornemannum secutus locum istum in dubium vocat. At in omnibus editionibus accuratis, quas consulere potui, tanquam genuinus habetur.

versi gubernator singula non per se, sed per ceteros deos curat. Cum ergo deus ille (τὸ δαιμόνιον), qui Socrati a puero aderat, etiam in rebus valde parvis eum moneret, consequitur, Socratem existimasse, aliquem ex inferioribus diis [1]), vel rectius Deum summum per aliquem deum inferiorem sibi se manifestare, quemadmodum Jupiter per Apollinem ministrum suum in oraculo Delphico loqui credebatur [2]). Nomen tamen dei, cujus vocem vel signum se percipere credebat, nusquam indicavit; nec mirum; nolebat enim, cum verum ignoraret, falsum dicere, et plerumque generali voce δαιμονίῳ uti malebat. De deo certe Pythico cogitari non potest, cum Socrates eum a daemonio suo clare distinxerit et teste Xenophonte (Mem. IV. 3. 12.) diis generatim vim futura praedicendi tribuerit.

Vox vel signum daemonii quale fuerit, num externum, quod auribus vel oculis perciperetur, an intestinum, quod sola mente cognosceretur [3]), Socrates non indicavit, ideoque intestinum fuisse putandum est; si enim externum fuisset, ipse vel discipuli ejus [4]) id explicare vix omi-

1) Dixi „aliquem ex inferioribus diis," non definiens, utrum deos, qui proprie dicebantur, Socrates intellexerit, an daemones, qui a Platone et discipulis ejus saepe commemorantur. Nam deos credebat et ipse Socrates, non eos quidem fabulosos quos Athenienses, sed mentes quasdam naturasve spirituales humana mente majores et a summo Deo rebus hujus mundi praefectas, benignas, providas, tales denique, quibus officia commissa essent, quae Platonici daemonibus tribuebant. Neque tamen credendum est, hos daemones Platonicos ignotos fuisse Socrati, multo enim ante ipsum commemorantur tum a philosophis tum a poëtis, ut ab antiquissimo Graecorum theologo, Hesiodo (Opp. et dies 109—150, 250 seqq.) et a Phocylide, philosopho Milesio eodemque poëta, qui Solonis aetate floruit. A Clemente Alex. (Strom. V. 259.) hi versus ejus referuntur: 'Αλλ' ἄρα δαίμονές εἰσιν ἐπ' ἀνδράσιν ἄλλοτε ἄλλοι. Οἱ μὲν ἐπερχόμενον κακὸν ἀνέρος ἐκλύσασθαι. Similia habent Empedocles (ap. Plutarchum in lib. de tranq. animi), Pindarus (Pyth. 5, 122 [164].) Post Platonem haec doctrina vulgaris facta est. Quare Tiedemannus (Geist der specul. Philos. II, 116.) existimat, Socratem superstitiose quidem, sed vere putasse auctorem vocis sibi familiaris daemonem seu genium suum esse. Idem Meinersius (Verm. Schriften III. 1) cum aliis probabile putat. *„Vielleicht hielt er (Socrates),* inquit, *die griechischen Götter für Mittelwesen zwischen der höchsten Gottheit und dem Menschen, welche die Wünsche der letzteren der Gottheit und von dieser wiederum Befehle an die Menschen überbrächten. Sie waren es vermuthlich, die er für die Urheber der Vorbedeutungen hielt, welche sie besonders guten Menschen offenbarten. Auf diese Art scheint es sehr begreiflich, wie er selbst glauben konnte, von den Göttern der hohen Gnade besonderer Offenbarungen gewürdigt zu werden."*

2) Apud Sophoclem (Oed. rex, 155.) Apollinis oraculum dicitur Διὸς ἁδυεπὲς φάτι. Notum est etiam illud Virgilii (Aen. III. 251.): „Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo Praedixit." Cf. Aesch. Eumen. 19. Ideo etiam Socrates, ut ait Mars. Fic. in praef. ad Apol.), modo daemonii modo dei vocabulo usus est, quia sublimis daemon Socratem quasi Dei interpres nunciusque afflabat.

3) Legatur, si libet, explicatio Simmiae apud Plutarchum (c. 20—24.), quae a Lasaulxio (in vita Socratis) laudatur, a Volquardseno (43. seq.) reprehenditur; vel S. August. (Enarrat. in ps. 108.) explicans, quomodo angelus dicatur dare intellectum homini; vel S. Thomas (Summae I. q. 111 a. 1.) „Utrum angelus possit illuminare hominem."

4) Xenophon quidem (Mem. I. 1. 3) videtur nonnullis criticis (Volquardseno (37.) et aliis) signum externum intellexisse. At Breitenbachius (l. c.) verba ejus aliter explicari posse ostendit. Quod vero apud Plutarchum (de genio Socratis c. XI.) quidam dixisse fertur, daemonii Socratici signum fuisse sternutationem cum ipsius Socratis tum aliorum, id tanquam indignum viro tanto ibidem refutatur. Gloriosius Apulejus Platonicus (de deo Socratis 241): „Equidem arbitror, inquit, non modo auribus Socratem, verum etiam oculis signa daemonis sui usurpasse. Nam frequentius non vocem, sed signum divinum sibi oblatum prae se ferebat. Id signum potest et ipsius daemonis species fuisse, quam solus Socrates cerneret, ita ut Homericus Achilles Minervam." Atque hoc familiarius Socratis cum genio suo commercium mentis ejus puritati et sanctitati Platonicos tribuisse, ex eodem Apulejo (l. c.) patet. „Pythagoricos, inquit, mirari solitos, si quis se denegaret unquam vidisse daemonem, ut reor, idoneus autor est Aristoteles. Quodsi cuivis evenire potest facultas contemplandi divinam effigiem, cur non apprime potuerit Socrati, quem cuivis amplissimo numini sapientiae dignitas coaequarat?" Inde natus est, ut ait Olearius (in hist. philos. Stanlei 146), superstitiosus ille daemonum cultus, quo multi variis exercitiis et religionibus ad sensibile magis commercium genios suos pellicere studebant, id quod Jamblichi, Procli, Plotini aliorumque Platonicorum scripta testantur. Has superstitiones, non cultum angelorum, redarguit etiam D. Paulus in ep. Coloss. II. 18.

sissent. Non fuisse externum, praeterea ex loco quodam Xenophontis (Mem. IV. 3. 12, 13.) colligere licet: Postquam enim Socrates cum Aristodemo colloquens copiose enarravit, quam sollicite dii hominibus prospiciant, quin etiam futura per divinationem consulentibus indicent, Aristodemus: „Te quidem o Socrates, inquit, familiarius uti videntur dij, quam ceteris, cum tibi ne interroganti quidem (per daemonium) significent, quid faciendum sit, quid non.“ Cui ille: Verum me dicere, etiam tu intelliges, si non exspectabis, donec deorum formas conspicias (ἕως ἂν τὰς μορφὰς τῶν θεῶν ἴδῃς).“ At si daemonii signum fuisset externum, non recte Socrates Aristodemum redarguisset.

Illud mirum videtur, quod daemonium Socratem, ut ipse apud Platonem saepius asseverat, semper dehortatum sit, numquam impulerit ad quidquam faciendum [1]). Xenophon tamen (Mem. I. 1. 4) utrumque accidisse dicit (τὸ δαιμόνιον σημαίνειν τὰ μὲν ποιεῖν τὰ δὲ μὴ ποιεῖν). Hanc dissensionem ita tolli posse putant critici, ut statuant, quotiescunque divina illa vox Socratem non revocaverit a consilio rei suscipiendae, silentium fuisse pro assensu et comprobatione; quae sane explicatio duabus illis daemonii monitionibus, quas Socrates in Apologia (pp. 30. et 40.) memorat, accommodari potest.

Atque alteram quidem rem Socrates affert, cum dicit, sibi daemonium adversatum esse, ne ad rempublicam accederet. „Et rectissime, inquit (Ap. 31. d) daemonium mihi adversatum esse videtur; constat enim, si quondam ad negotia publica aggressus essem, jam dudum mihi moriendum fuisse, itaque nullam neque vobis neque mihi utilitatem me allaturum fuisse scio.“ Daemonium igitur Socratem avocavit a munere publico suscipiendo, quod quidem ingenii ejus facultates et animi vires non superabat, sed a Deo ei non erat destinatum. Itaque daemonium effecit, ut Socrates in viam revocaretur et partes a Deo sibi assignatas civium suorum animos praeceptis salutaribus instruendi susciperet. Cum enim muneri philosophi et praeceptoris delecto daemonium non amplius refragaretur, id sibi divinitus destinatum esse Socrates judicavit; id quod ei adeo erat persuasum, ut in judicio profiteretur, malle se mori quam Deo non obedire desistendo philosophari atque alios docere hortarique (Apolog. p. 29. c. [2]).

Alterum est, quod Xenophon refert (Mem. IV. 8), Socratem a daemonio prohibitum esse, ne ad causam suam apud judices defendendam orationem meditaretur, id est artificiosam ad judices commovendos vel etiam corrumpendos aptam. „Nec judicem precari, nec precando absolvi, inquit Socrates (Apol. p. 35. c), justum est, sed docere atque suadere. Non enim eo consilio sedet judex, ut contra leges gratificetur, sed ut secundum eas judicet; atque id jurejurando promisit [3]).“ At defensionem

1) Hujus rei Apulejus (de deo Socratis 240 ed. Bip.) hanc rationem subjicit: „Enimvero Socrates, utpote vir opprime perfectus ex sese et ad omnia congruentia sibi officia promptus, nullo adhortatore unquam indigebat; at vero prohibitore nonnunquam, si quibus forte conatibus ejus periculum suberat, ut monitus praecaveret, omitteret coepta impraesentiarum, quae tutius vel postea capesseret, vel alia via adoriretur. In hujuscemodi rebus vocem quampiam exortam dicebat se audire. Ita enim est apud Platonem.“

2) Zellerus (Philos. d. Gr. II. 67. 68) contendit, Socratem munus praeceptoris, quod elegisset, non daemonio, sed deo aliis modis voluntatem suam manifestanti tribuere. Quam sententiam Volquardsenus compluribus argumentis refutat. Nihilominus Breitenbachius (l. c.) Zelleri sententiam repetens contra Volquardsenum inter alia dicit, argumentationem ejus non valere, cum inter reipublicae administrationem et munus doctoris esset quid medium, ideoque, ait, ex prohibita reipublicae administratione non sequi, munus praeceptoris Socrati fuisse eligendum. At sequitur omnino in re nostra, cum daemonium Socrati munus praeceptoris eligenti non sit refragatum; alioqui ne ex prohibitione quidem orationis artificiosae sequebatur, simplicem orationem a Socrate esse habendam, poterat enim omnino omitti; cum vero orationem simplicem habenti daemonium non resisteret, colligere ei licebat, se bene egisse: „repugnavisset (daemonium), inquit Socrates (Apol. 40. c), nisi bonum quid acturus fuissem.“

3) Quare, quod refert Diog. Laert. (II. 5. 20), orationem, quam pro eo scripserat Lysias, recusavit his verbis: Καλὸς μὲν ὁ λόγος, ὦ Λυσία, οὐ μὴν ἁρμόττων ἐμοί.

simplicem ex tempore habendam (Apol. p. 17. c) idem daemonium non prohibuit itaque adprobavit. „Neque suggestum hunc ascendenti, inquit idem (Ap. p. 40. b), neque in ulla orationis parte mihi verba facienti adversatum est dei signum (τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον) ... magnum hoc mihi est argumentum; certe enim signum, quod mihi fieri consuevit, adversatum esset, si non recte quid acturus fuissem (εἰ μή τι ἔμελλον ἐγὼ ἀγαθὸν πράξειν)."

Ex his duobus casibus id quoque facile intelligitur, a quo genere malorum daemonium Socratem avocaverit, num ab iis, quae honestati, an quae utilitati contraria essent. Nam casus ille, qui in Apologia (p. 31. d) refertur, ad utilitatem pertinebat, ut verba Socratis aperte indicant, quae supra attuli et notavi. Et sane munere publico fungi inhonestum non est. Alter casus, quem modo explicavi, ad honestatem spectat, ut per se patet. Minus ergo recte Volquardsenus (p. 14.) ad solam honestatem[1]), Zellerus (II. 67.) ad solam utilitatem ea, a quibus Socrates per daemonium retractus fuerit, pertinuisse dicunt, sed alia ad honestatem, alia ad utilitatem vel utramque spectasse putanda sunt. Volquardseno ii fere assentiuntur, qui Socratis conscientiam, Zellero, qui ejus rationem daemonium fuisse contendunt.

A Platone et posterioribus scriptoribus complura alia narrantur, quae ad daemonium Socraticum pertinent, ut monitiones de periculis sive Socrati sive aliis imminentibus[2]), de discipulis in familiaritatem ejus admittendis vel ab ea repellendis, similia. Xenophon (Mem. I. 1. 4.) singularia quidem facta ejusmodi non commemorat, sed generatim dicit, neque id dubitanter, multis saepe cum familiaribus futura, quae a daemonio monitus esset, praedixisse[3]). Nihilominus haec omnia, cum vel parum definita sint, vel a criticis in dubium vocentur[4]), vel fortasse non serio, sed simulate et per

1) Volquardsenus asserit (14.), a Socrate id tantum ἀγαθὸν vel κακόν dici, quod sit honestum vel inhonestum, non quod utile vel inutile. Cui recte contradicit Breitenbachius (505.) et ex Apologia (40. c) ostendit, mortem a Socrate κακόν, paulo post semel atque iterum κέρδος dici.

2) In hoc genere est, quod a Cicerone (de divin. I. 54.) narratur: „Idem etiam Socrates, cum apud Delium male pugnatum esset Lachete praetore fugeretque cum ipso Lachete, ut ventum est in trivium, eadem qua ceteri fugere noluit. Quibus quaerentibus, cur non eadem via pergeret, deterreri se a Deo dixit. Tum quidem hi, qui alia via fugerant, in hostium equitatum inciderunt." Dein addit idem Cicero: „Permulta collecta sunt ab Antipatro, quae mirabiliter a Socrate divinata sunt, quae praetermittam, tibi enim nota sunt, mihi ad commemorandum non necessaria."

3) Volquardsenus vult, daemonii monitiones ad Socratem solum, non ad ejus familiares pertinuisse, ideoque Xenophontem in hac re errasse contendit. At Xenophonti in iis, quae tanquam a Socrate dicta vel facta referat, fidem habendam esse, Volquardsenus ipse in principio libelli sui (3.) contendit; jam vero is (Mem. I. 1. 4.) diserte affirmat, multa saepe familiaribus praenuntiasse Socratem tanquam a daemonio praedicta (προηγόρευε ὡς τοῦ δαιμονίου προσημαίνοντος). Neque monitiones hujusmodi in gratiam familiarium Socratis factae a munere magistri divinitus commisso fuerunt alienae.

4) Ut in dubium vocantur narrationes quae sunt in Theage, cum dialogus iste dubius, imo certe suppositus habeatur a plerisque nostrae memoriae philosophis, iis potissimum, qui Socratis daemonium animum ejus fuisse statuunt. Nam quae in Theage referuntur vix aut ne vix quidem cum sententia sua componi posse sentiunt. Rationes sane, quae ab iisdem contra eum afferuntur, fere daemonium solum spectant. Excipiendus tamen est ex numero istorum philosophorum Socherus, magnae auctoritatis vir, qui licet de daemonio ceteris assentiat, tamen Theagen genuinum Platonis dialogum esse contra Astium et Schleiermacherum demonstrat. Hujus verba (in praef. ad Theagen) referre juvat: „*Neuerdings*, inquit Schleiermacherus, *ist oft und von verschiedenen Seiten her Theages als unächt angedeutet worden* (ergo nondum demonstratum), *so dass es keines besonderen Beweises mehr bedarf. Der Leser von kritischem Sinne findet die Gründe selbst, und für andere wird das Urtheil wahr* (sic!), *wenn man es nur oft genug wiederholt.*" Hinc Socherus (Platons Schriften 96.) exclamat indignabundus: „*Eine besondere Art Kritik! Irgend eine Stimme aus der Orakel-Höhle einer Schule oder eines Zeitblattes ist zur Verurtheilung hinreichend; eine solche lite-*

allegoriam sint dicta, missa facio. Sufficiunt ad causam meam sustinendam, quae Xenophontis et Platonis libri suppeditant. Hactenus quidem hoc, ni fallor, evici, Socrati persuasum fuisse, se voce quadam a Deo profecta vel in rebus valde parvis jam a pueritia moneri solitum fuisse, si quid facturus esset, quod aut honestati aut saluti adversaretur.

Jam quid alii de hoc daemonio judicaverint, videamus. Ut autem quod intendo assequar, neve sententias diversas narrando depravasse videar, ipsa verba auctorum, quantum fieri poterit, afferam.

§. 3.

Quid veteres gentilium philosophi de daemonio Socratis judicaverint.

Veteres gentilium philosophi generatim censent, Socratem in re, de qua agimus, neque deceptum esse neque decepisse, sed vere eum a numine quodam moneri solitum esse. Atque in his commemorandus est praecipue Xenophon, qui Socratem cum vatibus et auguribus similibusque, qui ex signis quibusdam externis dei voluntatem vel rerum futurarum eventus cognoscant, comparat, eumque vere, quae a daemonio seu deo edoctus esset, dixisse, ex eo colligit, quod, quae praedixisset, vere evenissent. En verba ipsius (Memor. I. 1. 4.): „Socrates, inquit, dicere solebat, daemonium hoc et illud sibi significare (*τὸ δαιμόνιον σημαίνειν*), suosque saepe familiares praemonebat, ut alia facerent, alia omitterent, quippe quae daemonium illud sibi praenunciasset. Qui monenti parebant, ex hoc utilitatem capiebant, damnum, qui non parebant. Quis vero non fateatur, noluisse Socratem stolidum aut vaniloquum familiaribus videri? At fuisset et stolidus et vaniloquus, si a deo quid sibi praenunciari (*προαγορεύων ὡς ὑπὸ θεοῦ φαινόμενα*) mendax asseruisset. Quis autem cuiquam in hujusmodi rebus fidem habeat, nisi deo?" Ex hoc loco evidenter apparet, *τὸ δαιμόνιον* et *θεόν* promiscue a Xenophonte usurpari eique persuasum fuisse, aliisque persuadere studuisse, Socratem vere a numine de rebus futuris monitum esse, ideoque nec fefellisse nec falsum esse. In naturam daemonii Xenophon amplius non inquisivit.

Quid Plato Socratem in Apologia profitentem faciat, supra dictum et explanatum est. Superest, ut videamus, quid Plato ipse de daemonio senserit. Is igitur saepe in dialogis suis de eo tanquam re nota mentionem facit, sed naturam ejus non explicat. Nihilominus quid de ea existimaverit, ex insigni quodam loco dialogorum, ubi de daemonibus sermo est, facile colligi potest. „Totum genus daemonum, inquit (Conviv. p. 202.) inter deos et homines medium est, quorum daemonum ministerio res humanae, preces et sacrificia, ad deos, deorum vero voluntates et mandata ad homines perferuntur, ut universus mundus tali vinculo connectatur. Per hoc genus daemonum omne vaticinium fit (*διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ*) .... Deus enim homini non conjungitur, sed per daemones omne commercium et colloquium fit inter deos et homines sive vigilantes sive dormientes." Cum

---

rärische Justizpflege lobe ich mir!" Nihilominus Schleiermacherus sententiam suam confirmat: *Zwar ist der Sprache nach in Vielem platonische Farbe genug im Theages*, (idem fatetur Astius), *doch schreibt sich das Gesprächlein nur von einer missverstandenen* (?) *Stelle aus Theaitet* (150. d) *her. Der schlechte* (?) *Nachahmer macht aus der dämonischen Stimme ein besonderes persönliches Wesen und wandelt uns das Dämonische in einen kleinen Dämon um.*" En vera sententiae ratio! Item Kuehnerus (in Proleg. ad. Xenoph. comment.) de daemonio in Theage descripto dicit: „Haec de Socratico daemonio opinio jam proxime accedit ei, quae posteris temporibus de eo conficta est, qua Socrati peculiaris quidam genius tutelaris tribuebatur." Nimirum Theages in extremo dialogo daemonium Socratis et precibus et sacrificiis placare et sibi propitium reddere cogitat (*τὸ θεῖον τὸ σοι γιγνόμενον πειρασόμεθα παραμυθεῖσθαι εὐχαῖσί τε καὶ θυσίαις*). Hoc sane in animum vel rationem Socratis convenire non potest, ideoque dialogus, qui inscriptus est Theages, rejicitur.

ergo secundum Platonem omne vaticinium (ἡ μαντικὴ πᾶσα) per daemones fiat, sequitur, ut idem existimaverit, etiam vaticinium seu monitiones Socrati per daemonium fieri solitas (ἡ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου) a daemone aliquo profectas esse, seu ab aliquo ex numero eorum, qui a Romanis genii vocabantur.

Hanc Platonis de daemonibus doctrinam discipuli ejus, praecipue Platonici recentiores, qui vocantur, amplificaverunt, ex quo facile intelligitur, et ipsos daemonium Socratis in numero daemonum vel geniorum habuisse. Unus pro omnibus audiatur Apulejus. Is in libro suo de deo Socratis tria genera daemonum distinguit. Primum complectitur hominum animos etiamnum corporibus suis conjunctos, qui interdum daemones vocantur. Alterum genus est eorum, qui quondam in corporibus humanis fuerunt, quemadmodum apud Hesiodum δαίμονες animi hominum aureae aetatis fuisse dicuntur. Tertio genere longe praestantiore ii daemones continentur, qui semper a corporum compedibus et nexibus fuerunt liberi. Deinde ita pergit: „Ex hac (tertia) sublimiori daemonum copia Plato autumat singulis hominibus in vita agenda testes et custodes singulos additos, qui nemini conspicui, semper adsint, arbitri omnium non modo actorum, verum etiam cogitatorum .... Hic, quem dico, prorsus custos, singularis praefectus, domesticus speculator ... si rite advertatur, sedulo cognoscatur, religiose colatur, ita ut a Socrate justitia et innocentia cultus est; in rebus incertis prospector, dubiis praemonitor, periculosis tutator, egenis opitulator; qui tibi queat tum in somnis, tum signis, tum etiam fortasse coram, cum usus postulat, mala averruncare, bona prosperare .... Non igitur mirum, si Socrates, vir apprime perfectus et Apollinis quoque testimonio sapiens, hunc deum[1]) suum cognovit et coluit ac propterea ejus custos et prope, ut ita dicam, par contubernio, familiaris, cuncta, quae arcenda sunt, arcuit, quae cavenda sunt, praecavit et praemonenda praemonuit[2])."

Haec Platonici isti de Socrate, nimia ejus admiratione moti[3]), magnificentius, de daemonibus, quibus fere eadem officia tribuebant atque nos angelis custodibus, non male locuti sunt. Sed in hoc graviter errarunt iidem, quod crederent, daemones istos etiam sublimiores cupiditatibus pravis obnoxios esse, ira commoveri, spectaculorum illecebris delectari, similia. Quare S. Augustinus (civ. Dei VIII. 14.) merito Apulejum reprehendit his verbis: „Aut fallitur Apulejus, et non ex isto genere numinum habuit amicum Socrates, aut contraria inter se sentit Plato modo daemones honorando modo eorum delicias a civitate bene morata removendo; aut non est Socrati amicitia daemonis gratulanda."

§. 4.

Quid christiani primorum saeculorum scriptores de daemonio Socratis existimaverint.

Gentilium igitur philosophi plerique Socrati bonum daemonem vel genium adhaesisse credebant. Contra nonnulli scriptores christiani, qui religionem suam ab illis defendebant, malum daemo-

1) Etiam daemones interdum honorifico deorum nomine a gentilibus appellantur. In sacris literis et a scriptoribus christianis malignos spiritus daemones vel daemonia vocari, res notissima est.

2) Non dissimilia sentiunt ceteri ejusdem scholae, ut Chalcidius, Maximus Tyrius, Plotinus, Jamblichus, Porphyrius, Proclus. Neque multum differt sententia, quam Plutarchus in libro suo de daemonio Socratis habet, cum Simmiam (c. 20—24.) fingit dicentem, Socratem non speciem vel sonum, sed vocem genii sui sine sono sola mente percepisse, quod quomodo fieri potuerit, fusius explicat.

3) Non sola admiratione, sed etiam invidia motos Platonicos tam gloriosa de Socrate prolocutos esse, par est credere. Nam ut miraculis Christi Salvatoris et Apostolorum, quae Christiani ad veritatem religionis suae probandam allegabant, similia opponerent, miracula, quae ferebantur ab Apollonio Tyanensi patrata, responsa oraculi Delphici, genium Socratis, similia jactabant.

nem fuisse contendebant. Atque in primis Tertullianus (in libro de anima c. I.), postquam de Spiritu sancto locutus est, haec habet: „Sane Socrates facilius diverso spiritu agebatur. Siquidem aiunt daemonium illi a puero adhaesisse, pessimum revera paedagogum, etsi post deos et cum deis daemonia deputantur penes poëtas et philosophos .... Quodsi idcirco sapientissimus Socrates secundum Pythii quoque daemonis suffragium, scilicet negotium navantis socio suo, quanto dignior atque constantior christianae sapientiae assertio, cujus adflatui tota vis daemonum cedit?" At idem Tertullianus (Apol. c. 14.) scribit: „Taceo de philosophis, Socrate contentus, qui in contemptum deorum quercum et hircum et canem dejerabat[1]). Sed propterea damnatus est Socrates, quia deos destruebat." Num ergo credibile, daemonium „pessimum paedagogum" Socrati a puero adhaesisse? Non in mentem venit Tertulliano illud Salvatoris (Luc. XI. 17.): „Omne regnum in se divisum desolabitur"? „Genium Socratis, inquit Carpentarius (in vita Socratis), siquidem pro substantia spirituali ab ipso Socratis animo diversa habendus est, in pravos daemones referre non licet, si consideretur probitas morum Socratis, si divina illa, quam ad graecos attulit suoque exemplo firmavit, philosophia, si bellum acerbissimum, quod vitiis indixit, nullo hominum, in quibus vivebat, discrimine facto. Ista enim non sunt pravi daemonis, qui homines in vitia praecipites dare soleat, a quibus Socrates eos revocabat."

Rationem, cur Tertullianus et nonnulli alii apologistae christiani tam miram statuerint sententiam, hanc Olearius affert verisimillimam: „Tertullianum aliter sensisse, inquit (in hist. philos. Stanlei I. 149.), non miror, cujus menti fortasse obversabatur, quod pagani hoc Socratis exemplo ad superstitiones suas firmandas pariter ac aliis miraculis oraculisque passim abuterentur. At nullum exinde pro paganorum superstitionibus propugnaculum exstrui posse, recordari potius debebat Tertullianus, cum acerrimus fuerit eorum hostis et impugnator Socrates, quem sane vindicare sibi non poterant nisi impudentissime mentiti, ob id ipsum quippe damnatum, quia καίνων θεῶν ποιητής, hoc est ab ipsorum superstitionibus exsisteret alienissimus. Sique a genio ductum esse Socratem constat, cur malum eum pronunciemus, nulla ratio apparet." Haec ille[2]).

Longe aliter ac Tertullianus de Socrate sentiebat S. Justinus martyr. Tantum enim abfuit, ut eum a malo daemone actum crederet, ut paene prophetam τοῦ Λόγου et martyrem haberet. „Cum Socrates, inquit (Apol. I. pro christ. 5. [46.]), homines a (pravis) daemonibus avertere conaretur, ipsi daemones opera hominum improborum perfecerunt, ut velut atheus et impius necaretur, nova ab eo daemonia induci dictitantes. Hoc idem contra nos christianos moliuntur. Nam apud Graecos a Verbo divino per Socratem fieri coeptum est, quod etiam apud barbaros aliquanto post ab illo ipso Verbo homine facto perfectum est." S. Justino assentiuntur alii scriptores ecclesiastici, in his Clemens Alex., qui (in lib. V. Strom. c. 14.), ubi Graecos multa ex Hebraeorum libris mutuatos esse, demonstravit, de puerorum angelis loquens probabile esse putat, daemonium Socrati attributum ex

1) De origine et vi jurisjurandi per canem aliaque animantia, quo Socrates utebatur, variae feruntur et veterum et recentiorum sententiae. Alii putant Socratem vel serio vel per jocum intellexisse Anubim, deum Aegyptiorum; alii, eam non fuisse nisi asseverandi formulam ut apud latinos medium fidium (contra Prellerum, Röm. Mythol. p. 633. seqq.); alii, noluisse Socratem per ipsos deos jurare exemplo et auctoritate Rhadamanti lege sancientis, nefas esse in jurejurando deos nominare; alii denique, ut Tertullianus et Augustinus et ex recentioribus Hermannus (in praef. ad Aristoph. Nubes p. 38.), eum hoc jurejurando uti solitum esse ex contemptu falsorum deorum.

2) Cum Tertulliano consentiunt S. Cyprianus (de vanit. idol. VI.); Minutius Felix (in Octavio c. 26. 8.); Lactantius (Instit. VI. 15.).

eorum numero fuisse. Clementis sententiam sequitur Eusebius Caesar. (Praep. evang. XIII. 13.). Etiam S. Augustinus (Civ. Dei VIII. 14.), cum Apulei librum (de deo Socratis) carpit, de daemonio Socratis loquitur, neque de natura ejus quidquam statuit; pro reverentia tamen, qua Socratem prosequebatur, potius bonum quam malum daemonem existimasse dicendus est.

§. 5.

Variae recentiorum eadem de re sententiae.

A veteribus philosophis aliisque scriptoribus recentiores viri docti in causa nostra valde dissentiunt. Hi generatim statuunt, daemonium Socratis non fuisse nisi ipsius animum [1]). Sed alii aliter id explicant, alii alios refutant. Ut perspicuitati consulam, omnes hujus sententiae patronos in duas classes divido. Alteri asserunt, a Socrate ipso animum suum dictum esse daemonium; alteri id eum judicasse negant, sed a nobis ita judicandum esse censent.

Socratem animum suum non existimasse daemonium, ex iis, quae supra (§. 2.) dicta sunt, patet. Jam rationes quamvis diversae, quibus isti sententiam suam defendunt, afferendae et examinandae sunt. Agedum, audiamus unum et alterum prioris classis philosophum sententiam suam defendentem!

1) Longum est, singulas recentiorum sententias, quae plus minus inter se discrepant, sed omnes in eodem genere sunt, hic referre nedum fusius persequi; nonnullas commemorasse satis habeo: Atque Stallbaumius quidem (in praef. ad Apol.) ait, Socratem non cogitavisse numen aliquod peculiare, quod vi sua consisteret, sed mentis divinationem quandam; Kuehnerus (in Proleg. ad Xenoph. comment.): „Apparet, daemonium illud non fuisse quicquam, quod extrinsecus oblatum vel sensibus perceptum esset, sed acriorem quendam animi motum, quem Socrates ideo appellavit *δαιμόνιον*, quod eum divinitus in se excitari persuasum habuit"; Hermannus (Geschichte und System d. Plat. Philos.): „*Die innere Stimme des individuellen Tactes*"; Brandis (Geschichte der Philosophie II. 59—62.): „*Unmittelbare Aeusserungen des Gewissens*"; Breitenbach (Anhang zu Xenophons Memorab.): „*Die feine, in Sokrates ausgebildete Stimme des Gewissens*"; Tiedemann (Geist der spec. Philos. II. 116.): „*Natürliches Vorhersehungsvermögen, feineres physiognomisches Gefühl*" et id genus alia. In hoc ergo scriptores nostrae aetatis fere omnes de daemonio Socratis disputantes contra veteres plerosque consentiunt, ut naturam quamvis rationalem ab ipso Socratis animo distinctam respuant. Haec discrepantia inter utrosque mira fortasse nonnemini videatur. Equidem duos causas easque omnino contrarias istum recentiorum consensum effecisse puto, odium polytheismi et rationalismum, quem vocant. De hoc rationalismo utpote causa potissima ex libellis quibusdam periodicis (Sion, eine relig. Zeitschrift, 1868. November, 1013) nonnulla referre juvat: „*Rationalismus ist diejenige theologische Denkweise, nach welcher sowohl in formeller als materieller Hinsicht in Sachen des Glaubens der Vernunft die höchste Autorität zuerkannt wird . . . . es wird jede geoffenbarte Religion nach Vernunftgesetzen beurtheilt und keiner Lehre derselben Glauben geschenkt, welche nicht aus der Vernunft abgeleitet werden kann. . . . Der Rationalismus statuirt zwar eine allgemeine Offenbarung* (revelatio universalis), *d. h. die Erkenntniss Gottes, welche Jeder durch die ihm von Gott verliehenen geistigen Fähigkeiten mittelst eines vernünftigen Nachdenkens erhält, und eine besondere Offenbarung* (rev. particularis), *d. h. die Enthüllungen der Gottheit, welche dieselbe dem besonders mit hohen Fähigkeiten ausgerüsteten Menschen zu Theil werden lässt; dabei ist aber an kein unmittelbares Einwirken der Gottheit auf den Menschengeist zu denken, sondern die Vorsehung lenkt es so, dass die Menschen durch eigenthümliche Verhältnisse und durch grosse geistige Anlagen zu einer höheren Stufe der Vollkommenheit gelangen, als die übrigen Menschen. Gott erweckt daher von Zeit zu Zeit Männer voll Geist und Kraft, welche Lehrer für die Menschheit werden; Solche sind z. B. Sokrates, Plato, Moses, die Propheten, Mohammed, Christus*" . . . . *Was die sog. Offenbarungsurkunden betrifft, so sind sie lediglich als Ausdruck früherer Vernunftoffenbarungen anzusehen, haben daher für uns nur einen historischen Werth* . . . ." Haec rationalistarum dogmata.

Fateor, inquit Chauvinus (de relig. nat. XIV. p. 160.), quam plurima dicta fuisse a Platone, Diogene Laertio, Aeliano, Apulejo ceterisque tam veteribus quam recentibus de daemone, quem fabulantur adfuisse Socrati. Verum si symbolum meum liceat conferre inter tot eruditos, dicemus, credulae antiquitatis somniis praetermissis, illum genium nil aliud fuisse praeter eximiam ac inter reliquos probatissimam conscientiam, quae Socratem maxime excitabat, ut Graeciam emendaret .... Quod vero veteres pedetentim de manu in manum decepti fuerint, haec fuit causa, quod vulgo inter eos docti theologi crederent, unicuique homini adesse genium, qui illum regeret. Itaque vulgo mutarunt in angelum conscientiam hominis. Huic credulitati manum dedit Socrates, qui pari usus est artificio, quod et adhibuerunt magni ante illum viri. Nam ut suis populis persuaderent, quae vellent, iis intimabant, se ab aliquo numine afflatos fuisse ... cui augendae credulitati accedebat jocosus Socratis sermo, tum et Delphicum oraculum, quod mira de Socrate praedicabat.“ Alter: „Non multum profecerit in allegorica istorum temporum philosophia, qui non videt, nil aliud voces istas sibi velle, genii, daemonis, vocis coelestis, quam, Socratem proprii ingenii atque rationis, quam assidue consulebat, virtute divinam naturae linguam, quae Creatorem nobis annunciat, didicisse. Ratio recte consulta et natura bene intelleeta sunt oracula sapientum[1]). Ratio, ut Heraclides Ponticus ait, daemon est, quem Deus in parte corporis nostri superiore constituit, ut inclinationes vere coelestes nobis adspiret.“ (Auctor Plat. detecti p. 60.) Haec quid valeant, jam est cognoscendum.

Quanta sit auctoritas Platonis et Xenophontis (nam etiam hic a Chauvino commemorandus fuit), in quorum testimoniis potissimum innitimur, supra (§. 1.) dictum est. In fabulatoribus certe numerandi non sunt. „Vix enim ausi fuissent Socratici, inquit Olearius (dissert. de genio Socratis in Stanleii hist. phil. I. p. 130. seqq.), tot fabulas de Socratis genio comminisci, quas, si nihil veri eis subfuisset, non deerant qui mendacii eos redarguere possent Socratis hostes, imo et alii, qui si non odio eum prosequebantur, mente saltem nullis partibus addicta et integra in lucem protrahere ista commenta potuissent.“

Socrates sane quidem, ut ait Cicero (IV. Acad. 15.), cum aliud diceret atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci *εἰρωνείαν* vocant; cum familiaribus tamen simpliciter loquebatur (*ὅτι μὲν οὖν ἁπλῶς τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἀπεφαίνετο Σωκράτης πρὸς τοὺς ὁμιλοῦντας αὐτῷ, δοκεῖ μοι δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων εἶναι.* Memor. IV. 7. 1.), vel si solito faceto sermone uti malebat, ii, qui disciplinae ejus assueti erant, ut in primis Plato et Xenophon, ad verborum sensum non difficulter penetrabant et veritatem sub ironia latentem percipiebant. Itaque ut exemplum afferam, saepe amare se aliquem ajebat, sed manifestum erat, inquit Xenophon (Memor. IV. 1. 2.), eum non corporum venustatem, sed animorum pulchritudinem respexisse[2]). Etiam dae-

1) En evangelium rationalistarum!

2) Haec verba testis locupletissimi Socratem de vitio turpissimo maxime graecos tunc pervagato nobis purgant. Ex scriptoribus, qui hanc rem accuratius tractarunt, unum Beckerum (Bilder altgriechischer Sitte, II. 224.) proferre liceat: *„Was Sokrates selbst anlangt, so habe ich nicht nöthig, auf die schon im Alterthume erhobene absurde Beschuldigung, die ihn zum Päderasten im schlimmen Sinne machen will, zurückzukommen* (vgl. J. M. Gesner: Socrates sanctus paederasta. Comment. Soc. Gotting. II. 1. ff.). *Alles, was ihn Plato im Lysis, im Phädrus, Symposion, Alcibiades I,* (p. 131.), *Xenophon im Symposion, in den Memorabilien* (bes. I. 2. 29, 3. 8.) *und anderwärts darüber sagen lassen, enthält die sprechendsten Beweise, dass er unkeusche Knabenliebe durchaus verwarf, wenn er auch den Ansichten seiner Zeit zufolge anders darüber spricht, als ein heutiger Moralist thun würde.“* Et sane inter *ψυχῆς ἐρᾶν* et *σώματος ἐρᾶν* periculosa est distinctio, cum facile ab altero ad alterum transeatur.

monii sui Socratem in nonnullis Platonis locis per ironiam mentionem facere non diffiteor, at idem eum fecisse apud judices, cum caput ejus ageretur, quis crediderit? Orationis contextus item repugnat, ut legenti patet.

Socratem autem, ut doctrinae suae majorem conciliaret auctoritatem, daemonium sibi assistere finxisse, nimis absurdum est et ingenio ac moribus tanti viri contrarium, ut refutatione non opus sit.

Neque quidquam proficiunt, cum dicunt, Socratem animum vel rationem suam per allegoriam daemonium appellasse. Nam quicunque Apologiam ejus vel paulum attente legit, intellegit, oratorem (p. 31. d et 40. a, b) de daemonio suo tanquam de re mira ac singulari (ὅτι μοι θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον γίγνεται) locutum esse. Hanc daemonii sui vocem vaticinatricem sibique familiarem dicit (ἡ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου), hanc sibi a puero fieri asseverat, saepe revocare, nunquam impellere. At si nihil aliud his verbis Socrates significasset, nisi ratione se praeditum esse idque a puero, nonne perridicule locutus esset rei vulgaris signa et notas tam accurate et graviter describens? Sane Melitus propter rei novitatem daemonium hoc in libello suo accusatorio derisit (Apol. 31. d ἐπικωμῳδῶν Μέλιτος ἐγράψατο) atque teste Xenophonte (Mem. I. 1. 2.) ob idem Socratem de novis numinibus introductis accusavit. At hic, si non intellexisset nisi animum suum vel mentem, nonne tam perversam sibique fatalem interpretationem accusatoris aliorumque corrigere et facile potuit et omnino debuit? Accedit, quod, si ceteri Socratem de daemonio loquentem male intellexerunt, certe Xenophon et Plato mentem ejus assecuti sunt. Atqui ille, ut supra ostendi, daemonium Socratis numen divinum intellexit et deum appellavit, hic facit Socratem aperte dicentem (Rep. VI. 496.), daemonii sui signum esse prorsus singulare, quod vix cuiquam obtigerit (τὸ δαιμόνιον σημεῖον ἢ πού τινι ἄλλῳ, ἢ οὐδενὶ τῶν ἔμπροσθεν γέγονε).

Socratem daemonium non existimasse rationem suam, etiam sic ostendi potest. Is enim apud Xenophontem non uno loco rationem humanam voci divinae opponit et quae utriusque propria sint, clare distinguit. Id ex colloquio Socratis cum Euthydemo habito, cui Xenophon interfuit, manifestum fiet. Ut Euthydemum ad pietatem erga deos alliceret, ostendit, quam sollicite dii omnia paraverint, quae hominibus opus sint. Inter alia haec habet (Memor. IV. 3. 11.):

„Socrates: Nonne manifestum est, deos rationem (λογισμόν) nobis indidisse, qua de rebus sensibilibus ratiocinando et reminiscendo, quem usum singula habeant, discamus multaque agamus et ad bona nobis comparanda et ad mala propulsanda? .... Euthydemus: Omnino videntur, o Socrates, dii de hominibus valde esse solliciti. Socrates: Quodsi quae aliquando profutura sint, praevidere nequeamus, dii hac in re ita nos juvant, ut per divinationem consulentibus futura indicent et quo pacto optime fiant, doceant. Euthydemus: Te quidem, inquit, etiam liberalius habere videntur, cum tibi ne interrogati quidem significent, quid faciendum sit, aut non faciendum. Socrates: Verum me dicere, etiam tu intelliges [1]), cum deos venerari et honore prosequi coeperis".

1) Ex his verbis Kuehnerus (ad Xenoph. Comment. IV. 3. 18.), Stallbaumius (in praef. ad Apol.) aliique colligi posse putant, tale daemonium Socratem non sibi soli vindicasse, sed aliis quoque. At falluntur; nam illud „verum me dicere" non ad daemonium referendum est, sed ad divinationem communem, de hac enim, non de illo locutus erat Socrates. Etiam Euthydemo, ait idem, deos, cum colere eos coepisset, futura indicaturos, quippe qui piis (Memor. I. 4. 18.) respondere solerent, non per daemonium quidem, sed per oracula vel aliquo alio modo. Hanc esse veram Socratis sententiam, patet insuper ex simili loco Mem. I. 4. 15. Mecum sentit hac in re Volquardsenus (pag. 18.); item Bornemannus (in h. l.), qui dicit, adversarios ad interpretationem suam approbandam suspicari, nonnulla ibi esse omissa. At hoc est textum accomodare ad opinionem praejudicatam.

Evidenter hic ratiocinatio distinguitur a divinatione, ad quam, id quod Euthydemus existimat et Socrates tacite concedit, quin alibi (Apol. 40. a) diserte profitetur, daemonii vox pertinet. Ceteris enim hominibus piis dii (Mem. I. 4. 18.) per oracula et vates interrogati futura et obscura indicant, Socrati daemonium pro oraculo est. Quare is nunquam oraculum consuluisse legitur; Xenophonti contra (Anab. III. 1. 5.), ut de expeditione cogitata deum Delphicum consuleret, suasit. Existimabat ergo, daemonium esse beneficium singulare et sibi proprium ideoque distinctum a ratione, qua omnes homines praediti sunt[1]).

Quae modo dicta sunt, valent etiam contra alterius classis adversarios, qui dicunt, Socratem putasse quidem, se percipere vocem daemonii ab animo distincti, sed sic existimantem esse deceptum, cum non perciperet nisi suae rationis judicia. Si enim is clare distinxit ea, quae ratione cognosci possunt, ab iis, quae ex diis per divinationem quaerenda sint, nonne etiam vocem daemonii seu oraculi sibi proprii (*εἰωθυῖά μοι μαντική*) a rationis suae judiciis distinxisse putandus est? Jam vero apud Xenophontem (Memor. I. 1. 9.) graviter eos reprehendit, qui utraque non distinguant. Ait enim, eos insanire (*δαιμονᾶν*), qui per divinationem explorent, ad quae dijudicanda dii hominibus dederint facultatem, velut si quis eos consulat, num peritum an imperitum gubernatorem assumere praestet. Quae facultate a diis data cognosci possint, ea homines discant oportere; quae vero homines lateant (*ἃ δὲ μὴ δῆλα τοῖς ἀνθρώποις*) ex diis per divinationem esse quaerenda, nam significare deos haec iis, quibus sint propitii. Haec Socrates. Num ergo credibile, Socratem eum ipsum in errorem, quem tam acriter reprehendit, et insaniam dicit, incidisse et per totam vitam in ista insania seu idea fixa perseverasse, ut daemonio suo velut oraculo interno etiam in rebus valde parvis tribueret, quae ratione cognovisset, nisi vere a daemonio, id est numine quodam monitus esset? Quid quod daemonium revocabat tantummodo ab agendo, nunquam ad id impellebat? At rationis est non minus suadendo impellere, quam monendo revocare. Quid porro est, cur non tum maxime istam daemonii id est rationis vocem perciperet, seu acriorem animi motum persentiret, cum per horas integras in meditatione defixus quaestiones sine dubio graviores[2]) mente agitaret? Nunquam enim tum mentionem fecit daemonii. Maneat ergo, daemonium Socratis non fuisse ejus animum vel rationem.

His argumentis item urgentur, qui putant, conscientiae effata a Socrate sive sciente sive insciente pro daemonii monitionibus habita esse. Nam quid est conscientia nisi ipsa ratio de honestate eorum, quae acturi sumus vel egimus, secundum leges, quas naturales dicimus, judicans et ad bene agendum impellens, a male agendo revocans? Jam vero etiam Socrates agnovit (Memor. IV. 4. 19.), esse leges quasdam a diis hominibus datas et ubique locorum receptas, quae non sint scriptae

1) Quod Socrates apud Xenophontem (Mem. IV. 3. 14.) dicit: *ἀνθρώπου γε ψυχή, ἥ, εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων, τοῦ θείου μετέχει* — ab adversariis ad sententiam suam firmandam adhiberi non posse, manifestum est; nam spectat id communiter ad cujusvis hominis animum, nec significat nisi animum humanum a Deo conditum (Mem. I. 4. 4.), si quid aliud, naturae divinae similem esse; quemadmodum enim, ut ait idem, animus noster in nobis dominatur neque tamen conspicitur, sic etiam dii in mundo ita operantur, ut ab hominibus conspici nequeant.

2) Non valet igitur responsio Stallbaumii (l. c.): „Solet profecto acrior esse animi sensus, si quid grave et periculosum incidit, quod fugiendum videatur." E contrario solebat daemonium Socratem monere etiam in rebus valde parvis. Lepidum est, quod Socherus (l. c.) ad similem Astii interrogationem respondet. *„Socrates würde auf diese Frage, wenn man sie ihm gesetzt hätte, geantwortet haben: Freund, sei nicht zu begehrlich! Begnüge dich mit der kleineren Gabe, die dir die Götter gewährt haben und begehre nicht Grösseres, was du nicht bedarfst, oder was unmöglich ist."*

(ἄγραφοι νόμοι), velut deos esse colendos, parentes honorandos, alia id genus. Agnovit ergo Socrates conscientiam omnibus hominibus communem eamque tum impellentem, tum revocantem; at daemonii longe alia fuit ratio, ut ex relationibus Xenophontis et Platonis, quas ipsi adversarii veras habent, supra demonstratum est. Ideo non semper, cum rem aliquam inhonestam facere recusabat, daemonii monitionem praetendebat; non tum sane, cum resistebat, quominus decem illi duces Atheniensium post victoriam apud Arginusas reportatam injuste capitis damnarentur; neque tum, cum a triginta illis tyrannis Leontem Salaminium, ut necaretur, adducere juberetur (Apol. p. 32.). Ergo daemonium Socratis non fuit ejus conscientia [1]), aut, ut supra dixi, affirmandum est, virum prudentissimum per totam vitam in errore gravissimo versatum esse. At hoc ipsum hujus sententiae defensores contendunt [2]), qui causas alii alias assignant, cur vir sapientissimus in tantum errorem inciderit et usque ad extremam vitam in eo perseveraverit. Hae causae jam examinandae sunt, num adfuerint, et si adfuerint, num id, quod asseritur, efficere potuerint.

Et Tiedemannus quidem (l. c.) ait, Socratem utique credidisse daemones sive genios, ex quorum numero suum esset daemonium. At hanc fuisse superstitionem. Neque mirum esse, quod hujusmodi superstitione captus sit, cum animum non ab omnibus praejudicatis aequalium suorum opinionibus potuerit servare immunem, ideoque ut ceteri Athenienses somniis, vaticinationibus, auguriis fidem habuerit; eo accedere, quod idem ad ecstases, quas vocant, proclivis fuerit. Nam tum animum Socratis tum corpus ita fuisse conformata, ut major mentis intentio corporis sensus quasi praecluserit, unde factum esse, ut meditationes ejus dulcibus ecstaticorum somniis simillimae essent.

---

1) Dicitur quidem interdum conscientia „vox Dei in animo hominis“, sed quo sensu id verum sit, bene explicat eruditus quidam (Sion, 1863. Dezember. p. 1339.): „*Es heisst: Das Gewissen ist die Stimme Gottes in unserm Innern. Diese Definition kann nur eine gezwungene Erklärung richtig machen, indem man sagt: es ist eine Stimme, die von Gott ist, hinsichtlich welcher also Gott nicht als agens, sondern als Schöpfer der Seele Urheber ist. Andernfalls wird man in die Falle des Pantheismus gerathen müssen, nach welchem das Absolute in der Menschenseele zur Rede kommt. Es wird demgemäss das Gewissen auch nirgends bei Theologen etwa* vox Dei in anima *genannt, sondern* dictamen practicum; *es ist ein dicere ohne Wort, aber nicht Gott redet, sondern die Seele auf Grund ihres unmittelbaren Bewusstseins, und dieses Reden ist nicht ein blosses Reden, sondern implicirt einen Befehl, u. s. w.*“

2) Talis est inprimis Brandisus (Gesch. d. Philos. II, 59–62.). Contra hunc Volquardsenus (p. 68.) haec habet: „*Warum können wir nicht mit Brandis uns mit der Annahme beruhigen, Sokrates habe diese Stimme des Gewissens, eine mittelbare Stimme Gottes, für die unmittelbare d. h. eigentliche und besondere Stimme Gottes gehalten? . . . . Dieser Annahme stehen viele Bedenken im Wege:* 1) *Hat Sokrates selbst den deutlichsten Begriff von dem Wesen des Gewissens im Allgemeinen und bestreitet jede Offenbarungsbedürftigkeit in dieser Beziehung.* 2) *Hat Sokrates, worauf es besonders ankommt, die specielle Manifestation des Gewissens als* conscientia praemonens *begriffen und unterschieden.* 3) *Dennoch versichert er wiederholt, dass er an einer wirklichen unmittelbaren Warnung Gottes nicht zweifle.* 4) *Seine demnach gewählte Lebensthätigkeit fasst er auf als seinen besondern göttlichen Beruf; beweist und begründet diese Ueberzeugung und bringt seine äussern Schicksale als göttliche Fügung damit in Verbindung.*“ Perperam videtur Breitenbachius (l. c.) hanc Volquardseni argumentationem impugnare. Nam Socrates non ideo, quia revelatione speciali se indigere putabat, daemonium credebat sibi assistere, sed ideo, quia saepe (non in quavis actione) vocem daemonii non sibi necessarii sed liberaliter concessi clare percipiebat et a conscientia omnium communi distinguebat. Neque poterat Socrates, id quod vult Breitenbachius, ideo conscientiam omnium communem daemonium dicere, quia conscientia in ipso esset subtilior, quam in ceteris; nam utraque, cum subtilitate, non genere differat, ab homine quovis conscientia dicitur, non daemonium. Pugnat praeterea cum Socratis modestia sibi soli sumere conscientiam subtiliorem. Denique valent de conscientia subtiliore, quae de acriore animi motu modo dicta sunt.

Saepius eum per horas, semel per viginti quatuor horas cogitationibus defixum fuisse, rerum externarum omnino oblitum. Atqui hujusmodi hominibus animi sui affectus ab altero mente praedito in se excitatos esse videri. Ita Tiedemannus.

De theologia Socratis infra sermo erit. Eum non ab omni quidem superstitione liberum fuisse, facile concedo, sed cum ingenio morumque integritate et puriore rerum divinarum cognitione aequales suos praestaret, eundem his magis a superstitione immunem fuisse affirmaverim. Certe Plutarchus (de genio Socr. 580.) Socratem laudat, quod omissis aliorum philosophorum, ut Pythagorae et Empedoclis miraculis fabulisque (τερατολογίαις) ad pompam et admirationem hominum compositis simplicissime, quae nosse e re esset generis humani, docuerit. Quare persuadere mihi non possum, virum illum prudentem et sobrium superstitione captum, non veritate impulsum credidisse, numen quoddam sibi assistere; saltem argumentis probandum, non temere ponendum est tam grave superstitionis opprobrium.

Nec juvat ad superstitionem Socratis probandam ecstases, quibus idem interdum correptus esse dicitur, in auxilium vocare. Nam hae vel nullae fuerunt, vel si fuerunt, ad daemonium explicandum nihil conducunt. Exemplum hujusmodi ecstasis, quae putatur, est hoc: Apud Platonem (Conviv. p. 174.) Socrates cum Aristodemo in Agathonis domum se conferens coenatum primo cogitabundus tardo pede incedere, dein in proximum vestibulum devertere. Ad coenam paratam semel atque iterum vocatus non vult venire. Tum Aristodemus: „Sinite eum, inquit; mos est enim Socratis iste; repente, ubicunque accidit, consistere solet; mox eum venturum arbitror.“ Brevi post inter coenandum Socrates in coenaculum ingreditur. Similia Plato habet in Phaedone (pp. 84. c et 95. c). Sed hae manifesto non sunt nisi perbreves meditationes; de ecstasibus ne cogitandum quidem.

Singularis et mira res, si non est more poëtarum amplificata, refertur ab Alcibiade (in Conv. p. 222. c), Socratem semel in castris apud Potidaeam ab aurora usque ad solis ortum proximi diei eodem vestigio in difficiliore quadam cogitatione stetisse defixum. Simile quid in eodem dialogo ad extremum narratur, Socratem post coenam prolixam, de qua modo dictum est, per totam noctem de philosophia disputasse, etsi ceteri aut cubitum ivissent, aut somno gravati essent. Exorto jam sole Socratem in lyceum se contulisse ibique per integrum diem more solito commoratum esse, demum ad vesperum domi requievisse. Utrumque, sive in meditando sive in disputando per viginti quatuor horas continuas permanere occupatum, profecto viri est et ingenio acerrimo et corpore robustissimo praediti; notae ecstatici hominis desunt.

Sed fac, istas meditationes fuisse ecstases. Quid ergo? Daemonii in istis ecstasibus nunquam facta est mentio, contra in rebus valde parvis, ubi de ecstasibus cogitari non potest, daemonii signum Socrates percipiebat; ergo non ecstasis fuit causa signi daemoniaci.

Socratem furori cuidam fanatico „Schwärmerei“ interdum obnoxium fuisse, adeo ingenio et moribus ejus repugnat, ut ipsi defensores hujus sententiae, ut Meinersius [1]), non sine aliqua dubitatione eam proponant. Sed Lélut (du Démon de Socrate 1836.) longe audacior, contendit, Socratem, quoties ejusmodi ecstasi vel furore fanatico esset correptus, sonum vocis daemonii sui auribus se percipere

1) *„Eigentlich sollte man die Krankheit der Schwärmerei bei einem Manne wie Sokrates gar nicht vermuthen. Sein Körper hatte eine unerschütterliche Gesundheit; seine Lebensweise war mässig, sein Geist von keiner heftigen Leidenschaft zerrüttet, ganz zur kalten, ruhigen, vorsichtigen Untersuchung geschaffen. Seine Aufmerksamkeit auf sich selbst und auf alle in ihm vorgehenden Veränderungen war ihm zur Gewohnheit geworden.“* Verm. philos. Schrift. III. 5. ff.

putasse; istis temporibus, ait, eum fuisse mente captum velut Swedenborgium aut Bardanum. At haec sententia, inquit Zellerus (II. 6. 4.), refutatione vix digna est.

Non multum differunt, quae Hegelius (Gesch. d. Philos. II. 94—191.) opinatur, daemonium Socratis non fuisse genium vel angelum, neque conscientiam ejus, sed statum quendam eumque male sanum, sive magnetismum animalem, sive somnambulismum, sive κατάληψιν. Homines enim in hujusmodi statu constitutos perspicere intimum rerum nexum, cognoscere, quae ceteros lateant, et praesentia et futura. Quod quomodo in Socrate evenerit, fuse, sed confuse explicat. At quae contra Tiedemannum dicta sunt, fere etiam contra Hegelium valent. Id unum addo: Socrates certe, ut Xenophon et Plato passim testantur, si quis hominum (de gentilibus loquor), summum illud bonum habuit „mentem sanam in corpore sano." Repugnat ergo Hegelii explicatio his, quae a certis auctoribus de Socrate accepimus.

§. 6.
Sententia Volquardseni.

Omnes has, quas modo recognovimus tum veterum tum recentiorum sententias, Volquardsenus in libello suo in judicium vocavit. Quibus magno mentis acumine examinatis hanc tulit sententiam: „Contentiones virorum doctorum Socratis daemonium ex legibus anthropologiae et psychologiae explicandi irritae fuerunt; nam daemonium istud species est insolita et singularis. Superest ergo, inquit, ut revertamur ad id, quod Socrati ipsi persuasum fuit, voce divina, id est voce Dei summi, gubernatoris mundi, vere se moneri." Argumenta ad persuadendum accomodata haec affert (pp. 19, 69, 70.):

1. Socrates, licet conscientiae naturam optime perspexerit et speciatim praemonentis conscientiae notionem claram et distinctam habuerit, nihilominus de immediatis, ut ajunt, Dei monitionibus, quae ab oraculis et aliis revelationum generibus distinctae sint, quaeque sibi singulariter jam ex pueritia obtigerint, se non dubitare saepius asseverat.

2. Hanc persuasionem non vanam esse, Socrates ex eventu colligit, quod nimirum daemonium optimus dux sibi fuerit (παγκάλως γέ μοι δοκεῖ ἐναντιοῦσθαι Apol. 31. d).

3. Socrati profecto non solum inter Graecos, sed generatim temporibus Christi adventum antecedentibus divina providentia munus amplissimum et gravissimum assignatum esse eumque plurimum profuisse, negari non potest. Etsi enim demonstrari non potest, quam relationem Deus ignotus, cui Athenienses templum aedificaverant, ad Deum ἀνώνυμον Socratis habuerit, illud certum est, doctrinam hujus viri eximii sive in scholis sive extra eas per saecula propagatam ad hominum animos informandos plurimum valuisse, ita ut Socrates hanc Dei providentiam respiciens merito dixerit, se esse δόσιν τοῦ θεοῦ τοῖς Ἀθηναίοις.

Assentior plane Volquardseni sententiae et rationes ad eam evincendam allatas non solum admitto, sed etiam, ut ex iis patet, quae supra disputavi, ego ipse defendi; hoc unum negandum puto, Deum summum per se seu immediate fontem daemonii fuisse, ad quod negandum haec me movent:

1. Ne Socrates quidem ipse hujus opinionis fuisse videtur, ut supra (§. 2.) ostendere conatus sum.

2. Ex eo, quod explicationes psychologicae reprobandae sint, non sequitur, ad Deum (summum) esse recurrendum, cum inter Deum et hominem genius, id est angelus custos, medius sit. Neque rationes a cl. viro speciatim allatae ad id cogunt; hae enim valent, etsi Deus per angelum Socratem monuerit.

3. Genium vel angelum in quaestione proposita admittendum non esse, saepius quidem Volquardsenus asseveravit, sed non videtur id evicisse. Nam argumenta contra Simmiam (p. 43.) prolata modum, non rem impugnant. Quod ad extremum addit: genium vel daemonem esse commentum, cui Xenophontis et Platonis relationes ansam non praebeant, id loci ex utriusque scriptis supra (§. 3.) allati redarguunt. Quae porro doctissimus Volquardsenus ex Tiedemanno (p. 47.) et Bruckero (p. 48.) contra nos citat, eadem ipsius sententiae adversantur. Ceterum de his Bruckeri, Tiedemanni aliorumque scrupulis, mox, ubi sententiam nostram stabiliverimus, sermo erit.

4. Denique, quod caput est, Volquardseni sententia rationi, quam Deum in hominum salute curanda sequi ex sacris literis constat, minus conformis est, id quod jam demonstraturus sum.

§. 7.

Quid Socratis daemonium fuisse veri similius sit?

Quod in terris contingit, ut res creatae aliae aliis sint perfectiores, et ab infima ad summam, qui homo est, per gradus paene innumerabiles paulatim, sine saltu, ascendatur, idem in coelestibus locum habere putandum est. Itaque inter Deum, cujus natura perfectissima corporis atque cujusvis materiae expers est, et inter hominem, qui anima et corpore constat, alias naturas medias corporum expertes, humana natura superiores, divina inferiores, interesse; id prudens quivis homo facile intelligit et ex anologia colligit. Nos quidem has naturas medias angelos vocamus, ethnici, sensu nonnihil diverso, daemones appellabant [1]). Quae quidem communis persuasio non leve argumentum est, revera esse inter Deum summum et homines naturas quasdam medias. Sed omnino certos hac de re non reddit nos nisi doctrina divinitus patefacta, quae doctrina in sacris literis nostris deposita verus fons illius communis persuasionis est, non ignorantia, ut rationalistae volunt, neque polytheismus [2]); in libris enim Moysis frequens est et manifesta Angelorum mentio, ut Gen. 16, 19, 24, alibi.

Quodsi conceditur, angelos esse, plane consequitur, eos non ita ab hominum genere segregatos esse, ut nulla conjunctionis necessitudo inter utrosque intercedat. Nam rationalis naturae est agere, atque bonae quidem bene agere idque hominum gratia; homines enim utpote mente praediti angelis cognati sunt et, ut aliquando eadem qua isti beatitudine in coelis fruantur, destinati. Id certe negari non potest, et fieri posse et rationi consentaneum esse, ut angelis, quod etiam daemonibus et geniis suis ethnici tribuebant, salus hominum curae sit. At quanta et qualis sit haec conjunctio

1) Angelus nomen est officii, non naturae. „Quaeris nomen hujus naturae? inquit S. Augustinus (Serm. I. in ps. 103. n. 15.), Spiritus est; quaeris officium? Angelus est; ex eo quod est, Spiritus est; ex eo, quod agit, Angelus est.“ Quos itaque Graeci ἀγγέλους, Latini nuntios dicunt, Hebraei malachim vel elohim, ethnici passim genios vel δαίμονας vocant. Alb. Fabricius in bibliograph. antiq. (VIII. 27.) complures ethnicos, qui eosdem Spiritus angelos nuncupabant, profert, ut Labeum, Ammonium, Porphyrium, Jamblichum, alios ejusdem disciplinae assectatores. Cf. Perrone, Prael. theol. III. 1. 1.

2) Cf. Hagelus (d. Rationalismus im Gegensatze z. Christenthume §. 17.). Qui pleniorem atque accuratiorem hac de re disputationem cupit, consulat Suaresium (De Angelis lib. VI. c. 20. n. 25. seqq.)

tum inter Deum et angelos, tum inter angelos et homines, praecipue quid angeli ad salutem hominum procurandam agant, haec plene ac certo item sacrae tantum literae, quas consulamus oportet, nos docent. Ratio per se sola in rebus coelestibus perscrutandis incerta est et facile in transversum agitur; hanc autem de daemonio quaestionem ad istud genus pertinere, ipsum nomen indicat. Atqui sexcenta sacrarum literarum exempla probant, non solum angelos esse, partim bonos, partim malos, sed etiam bonos angelos, quae hominibus Deus manifestare velit, nuntiare aliaque iisdem officia praestare. Quin plerique sancti Patres post Augustinum censent, quoties in Veteri Testamento Deus hominibus loquens inducatur, angelum intelligendum esse, ideoque Deum non per se, sed per angelos cum antiquis prophetis, quae vellet, communicasse, id quod sanctus Doctor ex variis ss. literarum locis in primis ex Act. VII. 53. demonstrat (De Trin. lib. III. c. 11.): „Illa omnia quae Patribus visa sunt, cum Deus illis secundum suam dispensationem temporibus congruam praesentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Et si nos latet, quomodo ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus. Exstat enim auctoritas divinarum Scripturarum, unde mens nostra deviare non debet ...... Sed, ait aliquis, cur ergo scriptum est: Dixit Dominus ad Moysen; et non potius: Dixit Angelus ad Moysen? Quia cum verba judicis praeco pronuntiat, non scribitur in gestis: Ille praeco dixit; sed: Ille judex.“ Cui consentiens D. Thomas (2. 2. q. 172. a. 2.) sic argumentatur: „Apostolus dicit ad Romanos (c. 13.): Quae sunt a Deo, ordinata sunt. Habet autem hoc divinitatis ordo, sicut Dionysius dicit, ut infima per media disponat. Angeli autem medii sunt inter Deum et homines, utpote plus participantes de perfectione divinae bonitatis quam homines. Et ideo illuminationes et revelationes divinae a Deo ad homines per Angelos deferuntur. Prophetica autem cognitio fit per illuminationem et revelationem divinam, unde manifestum est, quod fiat per Angelos.“

His praemissis sic contra Volquardseni sententiam argumentari mihi licet: Si Deus in Veteri Testamento prophetis non per se, sed per angelos loqui solitus est, num quod prophetis negatum fuit, Socrati concessum esse putamus, qui quidem quamvis sapiens et probus in prophetis divino Spiritu afflatis habendus non est? Neque illi sancti Patres et Doctores, qui Deum ipsum sine Angelorum ministerio cum antiquis Patriarchis et Prophetis locutum esse censent, eandem gratiam Socrati concessam esse crediderunt. Repugnat enim illud (Act. XIV. 15): „(Deus) in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas [1]“. Quid quod Socrati non semel atque iterum,

1) Fuerunt utique et sunt adhuc, qui putent, gentilibus praeter revelationes primitivas totique generi humano communes etiam proprias revelationes, pauciores quidem quam Judaeis, sed vere divinas obtigisse, ideoque in ipsis gentilibus ut in Judais Prophetas exstitisse. Etiam Volquardsenus Lasaulxium secutus huic opinioni favere videtur, cum in fronte libelli sui saepius laudati hoc dictum Hamanni velut totius commentationis scopum posuerit: „*Wer den Sokrates unter den Propheten nicht leiden will, den muss man fragen, wer der Propheten Vater sei.*“ Hamann Schr. II. 42. Alius scriptor recens (Lamennais, Essai sur l'indiff. tom. IV. p. 206. seq.) eandem sententiam his verbis proponit et argumentis confirmat: „Dieu ne cessa point, même depuis la loi ecrite, de susciter parmi les gentils de veritables prophètes, pour procurer à tous les hommes le moyen de parvenir au salut, et pour assurer en particulier celui des élus. Balaam en offre un exemple . . . Dans tous les temps, dit Origène (c. Cels. IV. 7.) la sagesse divine descendant dans les ames des iustes, en a fait des prophètes et amis de Dieu . . . . Clémens d'Alexandrie n'en doutait point, et ses paroles montrent même qu'il regardait ce sentiment comme une tradition apostolique. . . . Presque tous les anciens Pères les ont crues (les Sibylles) veritablement inspirées.“ Sane Clemens Alexandrinus, S. Justinus Martyr aliique de gentilium, praecipue de Graecorum philosophis tam gloriose locuti sunt, ut eos divino numine (τῷ Λόγῳ) afflatos et veros prophetas credidisse videantur. Sed rem diligentius consideranti patebit, locos ab adversariis contra nos allatos non de novis et gentilium propriis, sed de pri-

sed frequenter per totam vitam etiam in rebus minimis vocem daemonii percipienti major quam ipsis Prophetis familiaritas cum Deo intercessisset, si vox daemonii vox Dei ipsius fuisset [1]). Quid ergo? Videtur daemonium Socratis fuisse natura quaedam inter Deum et hominem media, id est genius Socratis isque bonus, vel ut rectius loquar, angelus ejus tutelaris [2]). Quod ut credam, his adducor rationibus.

„(Deus) omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus" (1. Timoth. II. 4—6.), ergo etiam necessaria ad veritatem cognoscendam et salutem consequendam omnibus suppeditat; cum vero secundum consilium sapientiae suae revelationes supernaturales in gentilibus continuare noluerit, naturalia saltem auxilia ad hominum salutem ordinata, in quibus est ministerium angelorum tutelarium, integra concessisse dicendus est. Accedit, quod, postquam homines peccando a Deo se averterunt, mali angeli majorem praesertim in gentiles potestatem nacti sunt. Quodsi Deus malos istos daemones non impedit, quominus tentationibus, fallaciis, praestigiis homines perdere contendant, num credibile, eundem benignissimum, qui „non vult mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat" (Ezech. XXXIII. 11.), bonorum angelorum operam contrariam coërcere voluisse? Singulis ergo hominibus etiam infidelibus, qui maxime indigent, angelus tutelaris a Deo assignatus est. Haec est vulgaris theologorum doctrina [3]).

---

mitivis vel ex Judaeorum libris transsumptis revelationibus, quas Graecorum sapientes divino consilio popularibus suis proposuerint, vel etiam de cognitionibus a Deo cum hominibus per rationem ipsorum communicatis intelligendos esse. Antiquior est enim, inquit S. Justinus (Apol. I. p. 70.), Moyses omnibus etiam Graecorum scriptoribus. Atque omnia, quae de immortalitate animi, vel poenis post mortem, vel coelestium rerum contemplatione, vel similibus sententiis tum philosophi tum poëtae dixerunt, sumptis ex prophetis argumentis (*παρὰ τῶν προφητῶν τὰς ἀφορμὰς λαβόντες*) intelligere potuerunt et exposuerunt. Hinc omnibus videntur inesse veritatis semina (*σπέρματα ἀληθείας*)." Et Eusebius Caesareensis: (I. XI. p. 508): *Τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων*; Quodsi unus vel alter locus scriptorum christianorum ambiguus vel omnino nobis contrarius sit, quid refert, cum tot alii tantique Scriptores christiani, et quod caput est, auctoritas sacrarum literarum a nobis stent. Inter alios de hac re copiose scripsit et quae contra dicuntur, acute diluit cl. Stiefelhagenus („*Theologie des Heidenthums*" pag. 426. seqq.); Lindenbaurius („*Apologie des Christenthums gegen Uebergriffe der Philologie und Philosophie*" pag. 27. seqq.).

1) Nimia profecto Socratis admiratione captus Lasaulxius inductus est, ut in libro quodam suo („*Des Sokrates Leben, Lehre und Tod*"), philosophum cum Christo, hominem cum Deo comparans non pauca scriberet, quae theologos merito offenderent et ad rescribendum provocarent. In libro isto Lasaulxius, vir ceteroquin ingenuus, qui in extrema vita scripta sua sponte Ecclesiae judicio subjecit, inter alia haec habet (pag. 122.): „*Ich nehme darum keinen Anstand offen und zuversichtlich zu behaupten, dass keine unter allen alttestamentlichen Persönlichkeiten ein so vollständiges Vorbild Christi ist, als der Grieche Sokrates, und dass ebenso unzweifelhaft das Beste der christlichen Lebenslehre dem Hellenismus ungleich näher steht, als dem Judaismus.*" Idem de daemonio Socratis loquens (pag. 100.) ineffabilem illam conjunctionem, quam vocant hypostaticam, inter naturam divinam et naturam humanam in Christo factam cum praesentia daemonii Socratici ita comparat, ut videantur ejusdem generis fuisse, licet altera major altera; dicit enim: „*Auch ich glaube, dass das Verhältniss der göttlichen Stimme zu der menschlichen Seele des Sokrates ein formell weniger klares und substantiell weniger inniges gewesen ist, als jenes des göttlichen Logos zu dem menschlichen Geiste in Christus.*" (Cf. Lindenbaurium, qui in libro suo „*Apologie des Christenthums*" haec severe examinavit et refutavit). At vel Rouseavius hujusmodi comparationem repudiat, cum dicit (Emile l. IV.): „Quels préjugés, quel aveuglement ne faut-il point avoir, pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie? Quelle distance de l'un à l'autre!"

2) Huic sententiae praeter alios favent: Marsilius Ficinus (in argum. Apol. Socratis); Clarius Eugubinus (in perenni philos. VIII. 25.); Dacierius (in argum. vers. Apol. Socr.).

3) Satis est, unum citasse Suaresium (De Angelis lib. VI. c. 17. 14.): „Dicendum est, non solum justos, sed etiam peccatores, neque solos fideles, sed etiam infideles . . habere angelos custodes. Haec est communis sententia Theologorum et Patrum, quos in priore assertione princi-

Angelum quidem tutelarem, dicat aliquis, Socrati a Deo datum esse, non gravate concedo. Sed vocem ejus a Socrate perceptam esse, hoc incredibile, quia miraculum idque in hominis ethnici gratiam patratum. At mira vel miracula, ut ita dicam, inferioris ordinis ab angelis sive bonis sive malis effici posse, communis est doctorum christianorum sententia [1]). Ab angelis bonis talia etiam in gratiam ethnicorum, ut Cornelii centurionis visione angelica dignati (Act. Ap. X.), facta esse non miror; potius mirarer, si nulla facta essent, cum constet, daemones, ut hominum salutem ad cultam deorum eos pertrahendo vel in eo retinendo impedirent, tot mira Deo permittente patrasse. „Surgent, inquit Christus (Matth. XXIV, 24.), pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.“ Miracula ope daemonum patrata inter gentiles multo frequentiora fuisse quam bonorum angelorum, ex superstitione, cui gentiles dediti erant, facile intelligitur.

Ceterum in causa nostra non agitur de adspectabili angeli praesentia, nec de signo vel voce, quae sensu oculorum vel aurium sit percepta, sed sola mente vel sensu interno, quemadmodum nos angeli nostri custodis monitiones, item mali alicujus spiritus tentationes percipere solemus. Singulare et mirabile Socrati id unum accidit, quod genii sive daemonii sui vocem a suae mentis cogitationibus et consiliis sine ulla dubitatione distinguebat, cum ceteri homines neque boni neque mali angeli afflatus a mentis suae sensis distinguere queant. Haec sane in Socrate fuit singularis Dei gratia. Eam concedi potuisse, quis neget? vere concessam esse, id praeter viri sapientissimi et modestissimi persuasionem ex eo colligi posse videtur, quod Socrates, ut Volquardsenus supra dixit, ex voluntate Dei gravissimo munere civium suorum mentes illustrandi moresque emendandi fungens gentilibus, non quidem propheta, sed pro propheta fuit. Atqui ut munus hoc inter ethnicos sane singulare, quod cum multis et magnis difficultatibus erat conjunctum, fortiter constanterque sustineret, singulare quoque auxilium et praesidium videtur fuisse necessarium. Quod quam verum sit, elucebit ex ipsis Socratis verbis, qui divinae suae quasi legationis sibi conscius et minime dubius, tum ipsum, quum caput ejus agebatur, haec praeclare dixit (Apol. 29. c. seqq.):

„Si mihi dicatis, viri Athenienses, Anyto non credimus teque absolvimus hac tamen conditione, ut nunquam posthac isti disciplinae et philosophiae operam des, respondebo vobis: Magnopere quidem vos diligo, o viri Athenienses, Deo tamen parere malo, quam vobis, et quamdiu spirabo viresque suppetent, philosophari non desinam exhortans et docens quoscunque nactus fuero .... Hoc

---

pali allegavimus. Et illam specialiter tradit D. Thomas (p. I. q. 113. a. 4. ad 3.). . . . Nam etiam peccatores et infideles non destituuntur sufficientibus auxiliis et consequenter neque illa providentia, quae ad illam sufficientiam pertinet, sub qua custodia angelorum comprehenditur. . . . Et patet, quia infidelis indiget angelorum custodia et illuminatione, ut paulatim possit ad fidem reduci, et peccator fidelis, ut ad poenitentiam trahatur, uterque ut a maioribus malis et daemonum nocumentis defendatur. . . . Dein quia hoc modo divina providentia iustior et universalior ostenditur. . . . . . Denique quia reproborum custodia etiam in bonum praedestinatorum redundat: nam per illam arcentur daemones instigantes reprobos homines, ne noceant electis, quantum cupiunt. Et hoc modo potest sufficienter responderi ad verba Pauli (Heb. 1.); sic enim ministeria angelorum circa reprobos in bonum redundant eorum, qui haereditatem capiunt salutis.“ Futile est illud rationalistarum: „Num quid ministris indiget Deus, ut sua nobis dona largiatur?“ Sane non indiget, sed tamen utitur.

1) S. Thoma P. I. q. 114. a. 4. rem hanc clare sic exponit: „Si miraculum proprie accipiatur, daemones miracula facere non possunt, nec aliqua creatura, sed solus Deus; quia miraculum proprie dicitur, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae, sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoque miraculum large, quod excedit humanam facultatem et considerationem. Et sic daemones possunt facere miracula, quae scilicet homines mirantur, in quantum eorum facultatem excedunt.“ cf. Denzinger, „Religiöse Erkennt.“ II. 364. Stiefelhagenus, „Theologie des Heidenth.“ §. 31.

enim Deus ipse me facere jubet, neque majus adhuc vobis bonum contigisse existimo, quam hoc meum ministerium divinum. Nihil enim aliud quam circumeo suadens junioribus senioribusque, ne corporum vel pecuniarum vel aliarum rerum curam majorem habeant quam animorum, ut quam optimi sint ..... Quare profiteor equidem, sive Anyto creditis sive non, sive me dimittetis, sive non dimittetis, profiteor, numquam me aliud quidquam esse facturum, ne si saepius quidem mihi moriendum esset .... Me vero esse talem, ut a Deo civitati donatus esse videar, ex eo potestis colligere, quod omnia mea neglexi et in hac rei familiaris negligentia per tot annos persevero vestrae semper saluti inserviens singulisque tanquam pater vel frater, ut virtutis curam habeant, suadens. Verum me dicere paupertas mea testatur ... Sed fortassis absurdum alicui videtur, me privatim sic singulis consulere huc illuc concursantem, publice vero in concionem non prodire. Hujus rei causa est daemonium, quod a puero mihi adest .... hoc est, quod ad rempublicam accedere me vetat ... (cf. supra §. 2)." Profecto qui talia agebat et loquebatur, in eum convenit illud D. Petri a Cornelio, centurione gentili, angelo hortante accersiti: „In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi" (Act. Apost. X. 34. 35.[1]).

Qui daemonium Socraticum genium vel angelum custodem fuisse credunt, facile intelligunt, cur id Socratem, ut ipse diserte affirmat, saepe revocaverit, nunquam impulerit. Angeli enim custodis id potissimum est, clientem custodire, ideoque a malo eum revocare et pericula sive corporis sive animi avertere, non omnia quidem, sed quae Deo, cujus voluntatem sancti angeli exsequuntur, avertere placet.

Quomodo autem angeli custodes, ut officio suo satisfaciant, in corpora et animos vim exerceant, id explicare longum est neque necessarium, cum ex sacris literis manifesto constet, in utraque eos vere vim habere et exercere (cf. supra §. 2. adn. 16.).

§. 8.
Quae contra dici possunt examinantur.

Tiedemannus, cujus argumenta ad sententiam suam probandam allatas supra (§. 5.) impugnavimus, sententiae nostrae sic occurrit: „Genius vel angelus, quem Socrates habuisse putatur,

1) J. Görres, cujus auctoritas plurimum valet, eadem fere signa tanquam certiora ad veras visiones a falsis discernendas offert; dicit enim (Christl. Mystik. II. p. 393.): „*So bleibt also denen, die mit solcher kritischen Schärfe nach glaubhafter Wahrheit forschen, da alle äusseren von den Gegenständen und Umständen hergenommenen Zeichen versagen, keine andere Gewähr über, als jene, die eine wahre und ächte Vision sich selber gibt, indem sie mit unwiderstehlicher Gewalt zur Einstimmung zwingt. ..... So sind denn die Gesichte, die Gott im Geiste eines Sehers herauffühirt, mit einem solchen eingegossenen Lichte begleitet, in dem jenes innere Gewissen geschärft und erhöht, nun auch mit sicherster Gewissheit die innere Wahrheit der Vision erkennt, so dass im ganz Beruhigten und Ueberzeugten auch nicht einmal der Verdacht des Gegentheils aufsteigt. .... Da diese Ueberzeugung aber nur eine subjective ist, so wird ihre objective Mittheilung an andere bedingt sein durch die Natur der Persönlichkeit, die sie gewonnen, und durch die Wirkungen, die sie in ihr zurückgelassen. Uebernatürlich selbst und göttlich, wie jenes Licht ist, müssen auch diese seine Wirkungen übernatürlicher und göttlicher Art sein; eine völlige, ganze, beharrliche Umkehr zum Guten, ohne Unterlaufen einigen Uebels, wie sie keine Creatur aus sich zu wirken vermag; eine Kräftigung zu Werken, wie sie gleichfalls von Niemand, als von Gott ausgehen mag, eine auf das ganze Leben sich verbreitende penetrante Wirksamkeit und dabei eine unverkennbare Hinleitung zu einem grossen, bedeutenden Endziel in der ewigen Heilsordnung von Seiten der Vorsehung. Finden alle diese Zeichen sich zusammen, dann muss das rationelle Licht von jenem übernatürlichen sich erleuchten lassen, und es wäre Frevel, an der Wahrheit des also sich Mittheilenden Zweifel zu hegen.*" Quae quomodo et quantum Socrati conveniant, ex iis, quae haectenus diximus et porro dicturi sumus, facile intelligetur.

non fuit talis, qui falli non posset, eum ab Aristippi et Alcibiadis familiaritate eum non revocaverit. Deinde quaecunque idem praedixisse dicitur, velut infelicem Siculae expeditionis exitum, naturali sagacitate potuit praevidere." At Aristippi et Alcibiadis, adolescentium magnis ingeniis praeditorum, in discipulos cooptatio, si vere daemonio tribuenda est, quod nonnulli negant, neque a fine magistro proposito aliena, neque discipulis inutilis, ideoque nec genio indigna fuit. Id Xenophontem (Mem. I. 2. 24. seqq.) et Platonem (Conviv. 215. et 216.) legenti patebit.

Num Socrates singulos casus vel sibi vel aliis imminentes, quos praedixisse fertur, sola mentis sagacitate praevidere potuerit, dubito. Sed esto eum potuisse, tamen ex hoc non conficitur, etiam non monitum a genio istos casus vere eum praevisurum et cauturum fuisse, neque ad confirmandum ejus animum haesitantem monitiones angeli necessarias vel saltem perutiles fuisse. Ceterum ab hujusmodi praedictionibus utpote minus certis in argumentatione proferendis consulto me abstinui, itaque non stat aut cadit cum eis sententia mea.

Majoris momenti illud est, quod adversarii plerique ei opponunt: „Socrates, inquiunt, et ipse deos civitatis colebat, et cives suos ad eos colendos hortabatur. Nam in Apologia (27. c et 35. c) profitetur, credere se, esse deos ad idque jurejurando confirmandum esse paratum. Idem diis tum domi tum in aris civitatis sacrificabat (Xenoph. Mem. I. 1. 2.) atque familiaribus, ut deos sacrificiis placarent et de rebus incertis consulerent, suadebat (ib. I. 1. 6; I. 4.). Quae omnia daemonium, quod etiam in rebus valde parvis dehortaretur, certe prohibuisset, si bonus genius vel angelus fuisset." Contra haec jam placeat pauca accipere.

Xenophon, quamvis comprobare contenderet, Socratem falso accusatum esse, quasi deos civitatis aspernaretur, nihilominus (Mem. I. 1. 19.) fassus est, eum de diis non idem sensisse, quod multitudinem. Porro Melitus Socratem accusaverat, quod eos, quos crederet civitas, in diis non haberet, sed nova daemonia induceret[1]) (Apol. 26. b). Socrates enim, ut ex Platonis Euthyphrone[2]) patet, quae absurda a diis conficta erant, respuebat; his autem fabulis poëtarum repudiatis ipsam naturam deorum longe aliam animo cogitabat ac civitas opinabatur. Hinc illa Meliti indignatio orta (Apol. 23. b: Μέλητός (μοι) ὑπὲρ τῶν ποιητῶν ἀχθόμενος) et altera pars accusationis, publicorum deorum repudiatio, adornata est; altera vero, novorum daemoniorum introductio, potissimum ad daemonium Socrati familiare pertinebat. Quodsi tota Meliti accusatio non spectasset nisi istud daemonium, dicere debuit, eum praeter deos civitatis alia habere daemonia. Denique Socrates Meliti accusationem, quod deos civitatis repudiaret, minime refutavit, id quod

1) Similibus verbis contra D. Paulum Athenis concionantem usi sunt graeci philosophi, ut refertur in Actis Apostolorum (XVII. 18.): „Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero: Novorum daemoniorum videtur annunciator esse — quia Jesum et resurrectionem annunciabat eis."

2) Ibi enim (p. 6.) Euthyphron cum Socrate colloquens: „Hi homines (Athenienses) credunt, Jovem deorum omnium optimum atque justissimum esse, qui tamen patrem, quod liberos ex se natos devorasset, ligavisse et castrasse putatur. Cui Socrates: Atqui hanc ob causam, o Eutyphron, accusor, cum ego, si quis talia de diis loquatur, aegre id feram." Similia idem Plato Socratem facit docentem (rep. II. 377—381): „Multae fabulae erunt abjiciendae, quas Hesiodus et Homerus scripserunt reliquique poetae . . ., sive per allegoriam dictae sint, sive sine allegoria. . . Qualis Deus est, talis semper est describendus. . . Deus autem et quae Dei sunt, omni ex parte quam optime se habent." Sed fortasse dixerit quispiam: Haec Platonis verba sunt, non Socratis. At recte Schleiermacherus ait, Socratem de Deo plura sapienter docuisse, quam Xenophon parum subtilis eum faciat disputantem, merito credi posse, imo credi oportere, ut Platoni liceret talia Socratem facere loquentem.

exspectares, sive eosdem quos civitatem deos se credere asseverans [1]), sive sacrificia diis Atheniensium oblata argumenti loco afferens [2]); sed potius contrarium significavit, cum diceret (Apol. 27. c): *Οὐκοῦν δαιμόνια μὲν φῄς με καὶ νομίζειν καὶ διδάσκειν, εἴτ' οὖν καινὰ εἴτε παλαιά*; Id unum Socrates evincere studebat, se non esse *ἄθεον*; nam talis magister profecto dicendus erat juventutis corruptor, non qui rectius de diis sentiret. Demonstrare autem rectius se quam civitatem de diis sentire, id erat oleum et operam perdere, ideoque prudenter ne tentavit quidem. Ex hac contra Meliti accusationem se defendendi vel potius se non defendendi ratione etiam apologistae christiani, qui Socrati aliis in rebus minus favent, contemptorem eum deorum gentilium fuisse conjecerunt. „Socrates, inquit Tertullianus (ad nation. I. 4.) ex ea parte damnatus est, quia propius veritatem tentaverat deos vestros destruendo." Idem censent Lactantius (Instit. V. 15.), S. Justinus (Apol. pro christ. I. 5.). Neque dissentiunt recentiores plerique. Sit pro omnibus Stallbaumius (l. c.): „De fabulosis tantum narrationibus, inquit, quae vulgo de diis circumferebantur, deque sacrificiis aliisque ritibus videtur non cum vulgo sensisse, quippe quae nec ipsorum deorum virtuti et honestati satis conducere arbitraretur; de qua ipsius sententia Plato videtur in Euthyphrone vera prodidisse."

Quam ergo Socrates Dei notionem animo conceperat? Quantum ex Xenophontis et Platonis scriptis colligere licet, haec ferme de Deo sentiebat: Unus est Deus summus, qui hoc universum composuit et adhuc conservat, qui maxima quaeque operatur neque a quoquam conspici potest (Mem. IV. 3. 13.). Is omnia sapientia sua regens ubique adest, omnia simul videt, omnium simul curam habet; et beneficiis et poenis nos afficit (ib. I. 4. 17. 18.); denique perfectus est et ab omni vitio immunis et omni virtute praeditus (Plato de rep. 379.). Ab hoc Deo summo idem distinguit (Mem. IV. 3. 13.) ceteros deos (*τοὺς ἄλλους*) erga homines benevolos, consulentibus futura vel incerta manifestantes aliaque bona iis largientes, Deo tamen summo utpote universum mundum gubernanti subditos, quorum ministri fulmina, venti, similia [3]). Tales profecto dii inferiores non valde differunt ab angelis, quos christiani norunt. Quare in deos, quos Socrates sibi fingebat, transferri posse videtur, quod de diis Platonicorum S. Augustinus (civ. Dei IX. 23.) dicit: „Hos (angelos) si Platonici malunt deos quam daemones dicere eisque annumerare, quos a summo Deo conditos deos scribit eorum auctor et magister Plato (in Timaeo), dicant, quod volunt; non enim cum eis de verborum controversia laborandum est. Si enim sic immortales, ut tamen a summo Deo factos, etsi

1) Idem animadvertit Astius, contra quem Thierschius (Jahresbücher S. 86.) et alii contendunt, Socratem accusationem Meliti sufficienter refutasse, cum solem et lunam pro numinibus divinis se habere diceret, ad deum delphicum provocaret, munus praeceptoris a deo sibi demandatum identidem affirmaret, denique profiteretur, magis se deos credere quam ex accusatoribus suis quemquam. At num solem et lunam in diis habuerit, ex Xenoph. Mem. IV. 3. patet, ubi tria distinguit: Deum summum, deos ceteros, opera vel ministros deorum, solem, fulgur, ventos. In Apologia vero (26. d), postquam Melitum more suo interrogando ad absurdam assertionem adegit, Anaxagorae se consentire negat; quid ipse de sole et luna sentiat, prudenter tacet. Ad alterum veniamus: Deum Delphis consulentibus responsa dare Socrates credebat idque superstitiose. Num ergo deum istum delphicum eundem cogitabat quem ceteri Athenienses? Hoc ipsum probandum est, non praejudicandum. Reliqua, quae opponuntur a Thierschio, hoc demonstrant, Socratem credidisse deos, non deos publicos.

2) Auctoritatem apologiae Xenophonteae, quae vulgo adulterina habetur, non licet opponere praesertim Platonis auctoritate adversante.

3) Fatendum tamen est, Xenophontem non perseverare in distinguendo Deo summo a ceteris diis, sive quia hanc distinctionem non perspexit, sive quia Socratem *ὀρθόδοξον* ideoque injuste damnatum describebat. Ne Plato quidem hac in re sibi constans fuit, tum quia metus caute eum loqui cogebat, ut ipse ait (de rep. lib. II. p. 378 b): *καὶ γὰρ οὗτοί γε οἱ λόγοι χαλεποὶ καὶ οὐ λεκτέοι ἐν τῇ ἡμετέρᾳ πόλει*; tum quia naturae divinae notionem non satis firme et perspicue habebat in animo informatam.

non per se ipsos, sed ei, a quo facti sunt, adhaerendo beatos esse dicunt: hoc dicunt, quod nos dicimus, quolibet eos nomine appellent. Hanc autem Platonicorum esse sententiam sive omnium sive meliorum, in eorum literis inveniri potest. Nam et de ipso nomine, quo hujusmodi immortalem beatamque creaturam deos appellant, ideo inter nos et ipsos paene nulla dissensio est, quia et in nostris sacris literis legitur: .... Deus deorum Dominus locutus est ... (ps. 49. 1.) ... etsi appellentur dii immortales illi et beati, qui in coelis sunt, non tamen dicti sunt dii deorum."

His praemissis jam patet, quid respondendum sit adversariis. Socrates utique praeter summum Deum credebat etiam inferiores deos atque colebat, non quos putabat civitas, sed quos ipse in animo habebat [1]). Sacrificia a Socrate in aris civitatis facta contrarium non evincunt [2]). Familiares vero generatim ad deos colendos et sacrificiis placandos idque more institutoque civitatis idem hortabatur, tum ne rerum publicarum perturbationem efficeret, tum quod melius esse arbitraretur, deos civitatis colere idque more recepto, quam nullos omnino et nullo modo [3]). At licet ne sic quidem Socrates ab omni errore et superstitione liber judicandus sit et nimiae conniventiae videatur incusan-

---

1) Huic nostrae Socratis purgationi videtur adversari, quod Plato in Phaedone (p. 118.) narrat, eum moriturum Aesculapio gallum sacrificari jussisse: „O Crito, Aesculapio gallum debemus, quem reddite neve negligatis." Id christiani scriptores acriter reprehendunt, ut Origenes contra Celsum (l. VI. 4. n. 631.), Tertullianus in Apol. (c. 46.), acerrime Lactantius (Instit. III. 20.), qui Socratem hominem dementissimum dicit. At cl. Spencerus (ad l. c. Apol.) Socratem sic defendit: „At ego, O Lactanti, non te quidem dementem dixerim, nam et prudenter et docte scripsisti non parum multa, sed Socratem ut temporibus illis bene cordatum hominem contenderim, cujus vita ut christianae sanctitatis imago quaedam laudatur a scientissimis. Te vero Platonis sensum haudquaquam assecutum id argumento est, quod quae obvelatis traduntur figuris nec nisi allegoricis unquam intelligenda, ipse ut simpliciter dicta accepisti, oblitus, ut videtur, sententiae illius, nunquam futurum Platonicum, qui allegorice Platonem non putet intelligendum, ut ait Coelius Rhodiginus (XVI. 12 Lect. antiq.)." Atque Havercampius (ad Tertull. Apol. c. 46.) rem sic explicat: „Solebant gallum illi, qui ex morbo se receperant, Aesculapio immolare, quod apparet ex sculptura gemmae Gorloanae. . . . Certe, quare illi gallum immolari voluerit Socrates, patet, utpote qui jam convaluisset primum ad meliorem vitam ex caduca hac et morbida emigraturus, inimicorum existimatione punitus, suo judicio finitus." Cui assentitur cl. Seppius (das Heidenthum und dessen Bedeutung I. 293., II. 296.): „*Der Hahn gilt für den Boten des Lichtes und der heraufziehenden Morgenröthe, daher führt ihn Janus, als Bild der Auferweckung aus dem Grabe über Hermes Asklepios..... Wenn (also) Sokrates auf dem Sterbebette seinen Freunden obiges Opfer (eines Hahnes) auftrug, so spricht sich darin sein gewisser Glaube an die Unsterblichkeit aus, dass er nun erst vom zeitlichen Tode errettet zum wahren Leben zu erwachen hoffte. Merkwürdig hat sich selbst bei den Bayern lange der Gebrauch erhalten, dass die Laien bei Todtenämtern zum Offertorium einen Hahn darbrachten.*" cf. Münchner Gelehrte Anzeigen 1837. S. 640. Brevius hunc nodum expedit Bruckerus (hist. philos. crit. t. I. p. II. l. II. c. 2.): „Extrema mandata (Socratis), inquit, hominem veneni sumpti vehementia sensibus vel rationis potius usu privatum probant."

2) S. Augustinus (de vera relig. c. 1.) ait, philosophos de religione aliud in scholis docuisse, aliud in templis professos esse, sed addit: „Socrates tamen audacior ceteris fuisse perhibetur jurando per canem quemlibet et lapidem quemlibet. . . Credo, intelligebat, qualiacunque opera naturae, quae administrante divina providentia gignerentur, multo quam hominum et quorumlibet opificum esse meliora, et ideo divinis honoribus digniora, quam ea, quae in templis colebantur." Mirum, quod idem nihilominus paulo post addit: „Et ipse Socrates cum populo simulacra venerabatur;" hoc sane non fuit viri audacis. Fortasse sancto Doctori in mente fuit, quod in principio libri I. de Repub. Plato Socratem loquentem facit: „Descendi heri cum Glaucone in Piraeum, ut et deam (Dianam) precarer et celebritatem spectarem." At hujusmodi prooemia dialogorum non res gestas narrant, sed pro ornamentis sunt.

3) Itaque Socrates Aristodemo cuidam, ut narrat Xenophon (Mem. I. 4.), qui neque diis sacrificabat, neque divinatione utebatur, quin etiam ridebat omnes, qui haec facerent, argumentis teleologicis, quae dicunt, demonstravit, et deos esse, providos omniaque intuentes, et cultum iis deberi. „Talia docendo, inquit Xenophon, mihi videbatur efficere, ut familiares non solum coram hominibus a rebus impiis, injustis, turpibus abstinerent, sed etiam cum soli essent, quippe qui existimarent, quidquid agerent, deos fugere non posse."

dus, non sequitur tamen, a genio seu angelo custode eum monendum fuisse. Nam angelorum custodum non est ab **omnibus** erroribus et periculis sive corporum sive animorum clientes suos servare immunes, sed a quibus et quantum Deo, cujus voluntatem ipsi exsequuntur, placuerit[1]); siquidem singuli homines auxilia tam naturalia quam supernaturalia ad salutem necessaria et sufficientia, sed alii aliis plura et majora a Deo accipiunt. Quid quod angeli custodes libertatem permittant integram, ut clientes quod velint faciant?

Ex his item liquet, quid respondendum sit **Bruckero**, cum dicit (hist. phil. crit. I. II. 2. p. 548.): „Nec verisimile ullo modo est, angelum tutelarem, sive ut philosophorum sermone utamur, daemonem *πάρεδρον*, qui toties salutem Socratis curasse dicitur, cum in ultimo vitae periculo deseruisse commissaeque tutelae immemorem, eum de instante fato ne verbo quidem vel signo monuisse, id quod tamen non factum esse Socratici non negant." Non opus erat Socratem de morte instante monere, ut effugeret, sed confirmare, ut fortiter moreretur. Conf. Xenoph. Mem. IV. 8. et Plat. Apol. 40. b.

Conclusio.

Summa totius disputationis nostrae haec est: Socrati persuasum fuit, saepe se voce numinis alicujus peculiaris a mente sua distincti moneri, ne quid faceret, quod honestati vel utilitati contrarium esset. Hoc numen quale esset, ipse non definivit, sed pro deo inferioris ordinis ab eo habitum esse, ex theologia ejus colligere licet. Philosophi plerique post eum, praecipue Platonici recentiores illud daemonium ex genere daemonum sublimiorum fuisse existimaverunt, sed de Socrate gloriosius locuti sunt, de daemonibus minus recte senserunt. Plato ad veritatem proxime accessit. Nonnulli veteres scriptores christiani Socrati pravum daemonem adhaesisse opinati sunt; sed hoc incredibile et factis contrarium. Recentiores philosophi putant, Socratis daemonium non fuisse nisi ejus animum, ideoque vocem daemonii acriorem quendam animi motum, vel mentis divinationem, vel conscientiam subtiliorem, vel simile quid. Haec sententia profecto simplex est et facilis intellectu, sed repugnat narrationibus Xenophontis et Platonis, quas ipsi patroni hujus sententiae veras habent. Volquardseni denique sententia, quae ab ipso Deo summo vocem illam profectam esse statuit, ordini divinae providentiae adversatur. Igitur restat, ut dicamus, ab angelo Socratem esse custoditum. Neque in hoc quidquam fuit singulare, nisi quod is monitiones custodis sui non dubitanter mente percipiebat et ab animi sui cogitationibus distinguebat. Haec utique magna Dei dignatio fuit, qui „miseretur, cujus vult" (Rom. IX. 18.). Quare merito angelus Raphael Tobiam, cujus filium iter facientem custodierat, et domesticos ejus sic hortatus est: „Benedicite Deum coeli et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est" (Tob. XII. 6. 7.). Item toto pectore Volquardseno assentior, qui in extremo libello suo saepius laudato illud **Humboldi** clarissimi posuit: „*Gott regiert die Welt; die Geschichtsaufgabe ist das Aufspüren dieser ewigen geheimnissvollen Rathschlüsse.*"

1) „Cum custodia angelorum, inquit **S. Thomas** p. I. q. 113. a. 6. sit quaedam exsecutio divinae providentiae, quae nunquam ex toto hominem derelinquit, nec angelus custos unquam ex toto hominem deserit, licet permittat quandoque secundum ordinationem divinorum judiciorum vel poenae vel culpae defectum pati, prout scilicet non impedit, quin homo subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum."

U. I. O. G. D.